

in Mayo
vicum.
s.
vius de
Dano.



~~E #2.~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

II 155.

SIGNAT. clvccccxiii.



2
I. N. J.
AGAPETUS SCHOLASTICUS
Seductus & Reductus.

Seu,
DRAMA SCHOLASTICUM
DE
AGAPETO,

Quem
D. Johannes Apostolus in
Filiū adoptaverat, adoptatumq̄s

Præceptoribus informandum tradiderat, post
verò, ubi pravo sodalitiò esset corruptus,
ad bonam frugem reduxerat,

Ex Eusebio Cæsariensi
desumptum,

In Quo
Prava Studiosæ Pubis Corruptela,

Necnon
Recta Instituendi Medela
graphicè depingitur,

Cum
Juventute Scholastica

Phrontisterii Nicolaitani,


In Theatro
productum

à

M. GEORGIO LANI, SS. Theol. Baccal.

Ejusd. Scholæ Colleg. III.

Lipsiæ, Typis Johannis Coleri, An. 1685.



INCLYTÆ
REIPUBLICÆ LIPSIENSIS
MAGISTRATUI.

VIRIS
*Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis,
Excellentissimis, Amplissimisq;*

DOMINIS
CONSULIBUS, SYNDI-
CO, ÆDILIBUS, SENATO-
RIBUSQ;

Gravissimis,
Dominis Patronis & Promotoribus meis
summoperè colendis,

Gratiam DEI & Benedictionem!

Quantum Dramata utilitatis affe-
rant studiosæ Juventuti, PA-
TRONI OPTIMI, non meis,
sed Comenii, Viri de Scholis opti-
mè meriti, verbis edifferam. Sic
autem ille in Scholæ Panfophicæ deline-
atione de iisdem verba facit: *Actiones sceni-
cas & theatrales, Comœdias præsertim, non
igno-*



ignoramus à quibusdam è Scholis arceri: retineri tamen eas, & ubi nulla sunt, introduci, suadent bonæ rationes. Primum enim per Actiones id genus quasi publicas, in Spectatorum theatro, exercitatur humanum ingenium ad alacritatem potentiùs, quàm id ullis adimonibus, aut etiam totà Disciplina vi, obtineri queat. Unde fit, ut Res memorabiles quacunq; faciliùs memoriæ imprimantur, ad vivum sic representatæ, quàm auditæ tantùm aut lectæ: faciliùsq; sic addiscantur multi Versus & Sententia, integrivè Libri, quàm separatà maceratione longè pauciores. Deinde ad ulteriora quoq; alia ex aliis petenda, insigne est Discipulis calcar, quandò aut diligentia laudem, aut negligentia ignominiam, in plurium conspectu reportandam sibi esse sciunt. Quin & (tertiò) publicum hoc Præceptorum, circa sibi commissos diligentia specimen, ipsis quoq; Magistris calcar addit, ut suos spectaculo produci sibi laudi interesse credant, eoque nihil de sedulitate remittant. Quintò, Parentes id pariter oblectat, ac ne sumptuum poeniteat facit, si filios suos pulchrè proficere publicèq; placere conspiciant. Quintò produnt se hac ratione excellentiora ingenia, cognosciturq; promptiùs, tum ad quod potissimum studium quisq; natus sit,





tum quinam pauperum præ ceteris promotione digni. Tandem (quod maximum est, & vel solum commendationi Scenæ sufficit) quia vita hominum (præsertim Ecclesiæ, Politicæ Scholisq; destinatorum, quales utiq; sunt, quos Schola erudiendos accipit) colloquendo & agendo transmittenda est, compendiosè ac jucundè hoc modo, exemplis & æmulatione, eò manuducitur Juventus, ut varia rerum observare, ad varia ex tempore respondere, Gestus decenter componere, Vultumq;, manus, corpus totum, pro re nata moderari, Vocem inflectere ac variare; Verbo, Personam quamcumq; honestè agere, & in his omnibus subrustico seposito pudore liberi esse consuescant. Hæc Comenius. Quibus ego probè observatis simulac mihi munus Scholasticum à Vobis, PATRONI OPTIMI, gratiosè demandatum esset, de tali Exercitio Comico cogitare cœpi, quod Juventuti meæ fidei conceditæ maximè esset proficuum. Thema autem ejusmodi delegi, in quo non minùs Discipuli, quàm & Pædagogi atq;ve Parentes multa moralia & imitanda & fugienda animadvertere queant. Nam hic docentur *Patres*, quod ad cultum ingenii in liberis spectat, scil. non esse par-

cen-



cendum sumptibus, nec tamen ad luxuriam profusè largiendum. Illud enim currentes moratur, hoc verò à studiis penitus avertit. Videndum igitur ubi, quantum & quando dandum sit? Hic docentur *Discipuli*, salutaribus monitis, quomodo prava confortia sint vitanda, quibus via ad doctrinam & virtutem intercluditur. Nam experientiâ docemur non rarò bonæ Spei adolescentes, qui pravo sodalitio adhæserunt, alieni à studiis facti, spem & expectationē Parentum fefellerunt, dum *cepas*, ut est in proverbio, *pro alliis* ex Academia domum reportant. Hic habent ideã deniq; *Præceptores*, in qua *metbodo* facillima informãdi pubem Scholasticam repræsentatur, quâ observatâ *Discipuli* sine maceratione ingeniorum proficere, ipsi verò tædium laborum discutere possint. Nam ut Poëta canit:

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile
dulci,*

Lectorem delectando pariterq; monendo.

Ethæcratio quoq; movit me, ut præsens Drama non *Germanico*, verùm *Latino* Idiomate, adeoq; Stylo Terentiano in apriçũ
pro-



producere, adhibitis tamen *Lingua vernacula Interseceniis*. Quorum illo *utilitas* Scolasticæ Juventutis, hoc verò *jucunditas* atqve oblectatio Spectatorum attenditur. Illud est eruditorum Comitorum, hoc verò cujuslibet Histrionis opus. Ad priorem classem referendi sunt ex Veteribus potissimum *Plautus, Terentius a)* atq; *Seneca. b)* Ex Neotericis *Schonaus, c)* *Frischlinus, d)* *Reichlinus seu Capnio, e)* *Brandius, f)* *Gnapheus g)* *Schöpferus, h)* *Sturmmelius, i)* *Stigelius, k)* *Damanus, l)* *Knaustius, m)* *Corn. Crocius, n)* *Grotius, o)* *Heinsius, p)* *Comenius, q)* aliqve quam plurimi. Nec piguit hoc in studiorum genere versari summum

Theo-

- a) Scripsit uterque Comœdias. b) Tragœdias. c) Terentium Christianum. d) Comœdias & Tragœdias. e) Vir in literis politioribus & lingvis suo tempore maximus. f) Jurisperitus Imper. Maximiliani Senator seu Consiliarius. g) Edidit Comœd. de Acolasto. h) de Abrahamo tentato. i) de Vita Studiosorum. k) Tragœdiam fecit de Susanna. l) de Christo patiente. m) de Agapeto, qui nobis magno fuit adjumento. n) de Josepho. o) Trag. de Adamo Exule, de Christo patiente, Sophrompaneas. p) de Herode Infanticida. q) Varias Comœdias luci publicæ tradidit, sub Rubrica: *Schola Ludus*.



Theologum & Philosophum acutiffi-
mum, JOH. CONRAD. DANNHAWERUM, cu-
jus Drama Sacrum habemus, utinam!
perfectum. Tantorum igitur virorum
vestigiiis infistere, quis mihi vitio verte-
rit? Vestro autem Nomini Ampliffimo,
PATRONI MAXIMI, has laborũ meo-
rum, quos in Vestro Athenæo subeo, pri-
mitias inscribere volui, ut sint grati erga
Vos animi mei tessera. Quod si eas fere-
nâ fronte adspexeritis, meq; porrò vestro
favore complectamini, laborum meorũ
onus non parùm mihi allevabitur. Valete
Patroni Optimi, vivite, ac florete,

Ut Vestris curis Respublica, Curia,
Templum,
Florida, tuta, sacrum, sit, maneat,
vigeat!

Dab. in Muléo meo
Ipsis Calend. Febr.
An. 1685.

Magnif. Vestræ Amplit.

humillimus Cliens

M. GEORGIUS LANI, S S. Th.
Baccal.

Cata-

Catalogus

Personarum Agentium.

1. Prologus.		33. Melpomene	} Musæ.
2. S. Johannes.		34. Thalia	
3. Asmenus Episc.		35. Euterpe	
4. Didascalus.		36. Terpsichore	
5. Parinus.	} Condiscipuli.	37. Erato	
6. Acharistus.		38. Calliope	
7. Agapetus.		39. Urania	
8. Cosmius.		40. Polyhymnia	
9. Acrates.		41. Voluptas Regina.	
10. Aspondus.		42. Leucosia	
11. Cletus.		43. Ligea,	
12. Philedonus.		44. Parthenope	
13. Niphalius.			45. Fama Monstrum.
14. Acolastus.			46. Emporus
15. Musophilus.		47. Palincapel ^o	
16. Philomathes.		48. Echmalotus	
17. Eubulus.		49. Lista	} Milites.
18. Evaristus.		50. Anemerus	
19. Evachetus.		51. Anofius	
20. Philautus.		52. Philargyr ^o	
21. Mispolus.		53. Dulus	
22. Ocnerus.		54. Magus.	
23. Tolmetus.		55. Chirurgus.	
24. Carolus.		56. Morio.	
25. Lampertus.		57. Mopsulus filius.	
26. Eugenius.		58. Urban Rusticus.	
27. Pamphilus.		59. Grita Uxor.	
28. Raphaël Angelus		60. Florianus	} Filii.
29. Apollo De ⁹ Musarū.		61. Colax	
30. Ganymedes.		62. Signifer miles	
31. Virtus Matrona.		63. Tympanotriba.	
32. Clio		64. Epilogus.	



PROLOGUS.

Salvete, quotquot Spectatores optimi
 Adestis, atque argumentum Comœdiæ
 Præsentis auribus vestris nunc condite.
 Descripsit Eusebius Cæsariensis, suæ
 Ecclesiasticæ Narrationis, &
 Historiæ, capite, nã fallor, vicefimo
 Secundo, bellam fabulam & non fabulam,
 (Sic namque loquitur ipse,) quã Juvenem nimis
 Blandã institutione ac indulgentiã
 Depravatum, atrocinia tandem aggredi
 Ausum, atque ab Apostolo Dei Joanne in viam
 Revocatum & conversum, commemorat dulcibus
 Piisqve & gravibus verbis. Hinc Didascalus
 Deprompsit argumentum hujus Comœdiæ,
 Non deerunt, qui *calumniantur*, perperam
 Factum, quod hic operam suam locaverit,
 Quasi sacratis non fatis sit in literis
 Fortè Historiarum, unde argumenta suppetant,
 Orationis atque styli genus alius
 Reprehendet, alius aliud culpabit scio.
 Sed quid tùm postea? Nemo unus omnibus
 Placere unquam potuit. Nostro Didascalo
 Arrisit hoc argumentum maximè.
 Proverbio, *sunt tot sensus, quot capita sunt.*
 Trahit sua quemque voluptas. Quare te precor
 Spectator candide, ut faveas Didascalo

A

No-

Nostro atq̄ve producendæ huic Comœdiæ,
 Exercitandis fecit q̄vam discipulis.
 Si viderit *placuisse* tibi studium hoc suum,
 Deinceps fortè & alia dabit, diligentia
 Majore elucubrata. Nunc hæc interim
 Boni consulite, & æq̄vi estote iudices
 Vos Spectatores optimi dico optimi.
 Quia *bonis* hic loq̄vor, nec non & *candidis*.
Malos parum aut nihil curamus, perfidam
 Turbam, q̄vi cum boni non sint, dic q̄vomo
 Possint benedicere? Silete, enī prodit suo
 Joannes, q̄vem ordinaverat, cum Episcopo.

ACTUS I. SCENA I.

*S. Johannes Apostolus. Asmenus Episcopus
 & Agapetus Juvenis.*

HOC præceptum commendo tibi, secundum ea
 QUÆ dicta sunt antehac, ut milites bonam (a
 Militiam, habens fidem atq̄ve conscientiam
 Bonã Oportet enim esse Episcopũ sine crimine, (b
 Ut dispensatorem Dei, unius virum
 Uxoris, non superbum, non inconditum,
 Aut luxu perditum, nec iracundiæ
 Vitio laborantem, aut percussorem impium,
 Non turpis lucri cupidum. Ast hospitem eum
 Decet esse, benignum, justum, necnon sobrium,
 Prudentem, sanctum, continentem, providum,
 Sux q̄vi benè præsit domui & frugaliter,
 Habentem filios castos & subditos.

Nam

a) 1. Tim. 1. 18. b) Tit. 1. 7.

Nam qui domui suæ nescit præesse, quo-
 Modo ille Ecclesiæ Dei solertiam
 Præstabit debitam? Amplectatur insuper
 Doctrinam, quæ secundum fidelem Dei
 Sermonem est, ut potens sit exhortari eos
 Etiam, qui contradicunt, arguere in fide
 Et doctrina sana. Tu igitur in gratia
 Nunc confortare, quæ est in Christo Jesu. Ea
 Quoqve, quæ audivisti à me per testes plurimos,
 Fac commendes fidelibus hominibus, qui erunt
 Idonei, ut alios doceant, sicut bonus
 Miles Christi. Nam & qui certat in agone, non
 Coronabitur is, nisi strenuè certaverit. (c
 Sed heus fili, accede propius, bonæ indolis
 Esse videris ex facie. Cujas es tu, & quibus
 Natus parentibus? Fili, dic, ut sciam.
 AGAP. Corinthus patria est mihi, parentibus
 Verò orbatus nuper, miser dego orphanus.
 S. JOH. Non orphanus tute es, sed in Cœlis patrē
 Habes prædivitem, qui delectatur hoc
 Titulo, Orphanorum atq; viduarum dicier
 Pater. Bono sis animo, patrem & me vides
 Tuum. Placet etenim mihi liberalitas
 Vultus tui & modestia. Qvare te in meum
 Adopto filium. Hunc summo, tibi Episcopo,
 Studio commendo Juvenem, tam ingenio bonum
 Animoq; acrem, quàm forma corporis sui
 Elegantem & vultu honestum. Hunc commendo
 Inquam, sub testimonio Christi mei & (tibi,
 Totius Ecclesiæ. Tu sedulò videris

A 2

Ne

c) 2. Tim. II. 5. d) Ps. LXVI. 6.

Ne perdas filium mihi & animam tui
 Fratris. Namq; à teneris multum est advescere.
 ASMEN. Recipio eum lubens pater, nec commodi
 In me quicquam claudetur ei. Dabo sedulo
 Operam, nihil prætermittam omnibus modis,
 Salutaribus ut præceptis tener animus
 Formetur in pia doctrina Ecclesiæ
 Christi, atq;ve humano generi utilibus artibus
 Consvfaciam eum summâ diligentia
 Fideq; ad virtutem atq;ve exercitia pia.
 Jubebo deniq;ve inspicere, tanquam in aliquod
 Speculum, vitas hominum, atq;ve ex aliis sumere
 Exemplum sibi. Facito hoc, fugito illud. Hoc tibi
 Laudi est, hoc vitio datur. Ad hunc ego modum
 Præceptis animum illius, si placet instruam.
 S. JOH. Rectè dixti & probissimè, sed rectius
 Facies, si quod verbis magnificè jactitas,
 Re potius ipsa effectum reddas. Strenuus
 Fac sis animæ fratris custos, non proditor.
 Eris autem proditor, si per negligentiam
 Cessaveris uspiam. *Udum & molle lutum est puer,*
 Nunc, nunc properandus & acri fingendus sine
 Fine rotâ. *Porrò ut quisq; suum vult esse, ita est.*
 Fac stes promissis, non leve est qud postulo.
 De fratris & tua ipsius agitur anima.
 Promittis te dignam fidem & sedulam operam.
 In facie Christi & sanctæ Ecclesiæ ipsius?
 ASMEN. Promitto Pater sanctissime, si modò velit
 Obedire, & præceptis obseqvi meis.
 S. JOH. Num nota tibi Salomonis est vox inclyta?

Qvi

Qui parcat virgis, odit filium suum. (e
 Acri dixi formandum esse rotâ. Cereâ
Sunt in vitium flecti iuvenes, & asperi
 Monitoribus suis. (b Sed hic est cautio
 Tamen, ne dum formare incipias strenuè,
 Juvenis tenerum avertas animum. Pudore namq;
Et liberalitate retinere satius
Est liberos, metu quam, aut virgis cogere. (c
 Et errat longè meâ quidem sententiâ,
 Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
 Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
 Verùm ne sit inepta lenitas & facilitas
 Prava, ipse videris. *Modus est in omnibus*
Rebus, certiq; porro fines, quos citrà
Ultraq; nequit consistere rectum. (d Sit tibi
 Cautio, ne mihi corrumpi illum finas. Puer
 Et tu audi Præceptorem, nec recalcitra.
 Obtempera piis monitis, teq;ve indole
 Tuâ, ut dignum est, & maximam concepì apud
 Animum de virtute tuâ spem, quò possit in
 Te Spiritus Dei habitaculum parare, fac
 Modestus, humilis, temperans, & acer in
 Studiis pietatis vivas, ut templum Dei
 Sis ipse, & læta de te, cum reversus huc
 Fuero, audiam. Nec enim leve est, quid Spiritus
 Sanctus mihi, de te dictitat, præfagit &
 Mens sollicita. Promittis obedientiam
 Fidemq;ve Christo, mihi Patri, atq;ve Episcopo?
 AGAP. Promitto sedulò, Pater sanctissime.
 ASM. Et ego, quantum in me fidei & diligentia.

A 3

S. JOH.

e) Prov. XIII. 24. b) Horatius. c) Seneca. d) Horatius.

S. JOH. Res magna est, recta puerorum educatio
 Valet. Pax Christi atqve ejus benedictio
 Sit vobiscum, & vestros conatus dirigat,
 Totamqve Ecclesiam hanc dignetur Spiritu
 Suo clemens regere & conservare in fide,
 Et charitate mutua, sicut decet.

ACTUS I. SCENA II.

Asmenus, Agapetus, Didascalus.

SAlve didascale, Magister doctissime,
 Simul atqve vos pueri, angelica turba, optimi.
 Adesdum! Habeo tecum quod paucis colloqvar.
 Commendavit adolescentem hunc mihi Apostolo
 Johannes studiosissime. Eum porrò tuæ
 Nunc diligentia commendo, ab Apostolo ut
 Est commendatus mihi. Tu verò feceris,
 Ne quicquam, quod jam ad disciplinam pertinet,
 Et institutionem rectam, in te mihi
 Desideretur. Nam non modò nobis, sed &
 Christo domino, vobis reddenda erit ratio,
 De pædagogia vestra. Non est leve
 Quod sustinetis munus, sed verè arduum.

DIDASC. Reverende in Christo Pater, & Domine,
 muneris

Mei me cogit ratio, ne me subtraham
 Oneri, quod in recipiendo hoc, imponitur.
 Lubens igitur hunc recipio adolescentulum,
 Et si volet obedire præceptis meis,
 Non pœnitebit me operæ & diligentia,

In

In qua nihil desiderabitur, modò
 Se attentum, sedulum, docilemque præbeat.
 Quid ais adolescens, promittis tuum mihi
 In discendo studium, in fingendis moribus
 Obedientiam? Quid respondes mihi?

AGAP. Faciam, quod ingenuum bonumque conde-
 Adolescentem, mores regendo, & literas (cet
 Discendo, ne quid de me conqueri queas.

DIDASC. Honestæ oratio. Fac, quod profers,
 & hunc

Præceptorem fidum, tuique amantem habe.

ASM. Sui ergò muneri uterque satisfaciat probè.
 Tibi hunc Magister commendo totum: Deo
 Et Apostolo rationem reddes & mihi.

DID. Reverende Episcopo, in me quantum est se-
 dulo

Faciam, ut rectè formetur, sicut me decet.

Adolescens bone, quod est, cedò, nomen tibi?

AGAP. Agapeto nomen à Parentibus inditum est.

DIDASC. Benè est, faustum sane & pulchrum for-
 titus es

Nomen, quippè hoc Græcis Dilectum denotat.

Summo igitur opere, Agapete, tibi annitendum

Ut expectationi Nominis adeò (erit,

Boni, virili pro tua, respondeas.

Nempè, ob literas dilectus ut sis omnibus.

AGAP. Equidem pro viribus sedulò operam dabo,

Inque hoc mihi adiutorem te spero fore.

DIDASC. Sed & ipsa corporis tui facies mihi

Animum subesse ostendit, qui haud abhorreat

A Musis literisque bonis, adeò ut queat

De te dici demum illud, quod vulgò ferunt:
 In corpore pulchro est virtus veniens gratior,
 Sed alium ejusdem vatis versiculum cape:
 Fastus quod inest pulchris, sequiturque suberbia
 Formam. Nil pestilentius Scholasticis
 Philautia, quàm ingenia multa pessum eunt.
 AGAP. Dabo operam, præceptor frugi ut sim &
 diligens.

DID. Nunc occupabis istum te dignum Locum.

Hic Interscenium I. Germanicum
 sequitur.

ACTUS II. SCENA. I.

Didascalus, Aspondus.

DIDASC.

HEus furcifer, heus, heus, raucesco clamoribus
Ham dudum, nec tamen adhuc expergisteris.
 Videris dormiendo vel cum gliribus
 Certare posse. Aut ocyus surge, aut ego
 Tibi baculo somnum excutiam. Non te pudet,
 (Vah somnium hominis!) multam in lucem ster-
 tere?

*Frugi qui sunt famuli, aut discipuli commodi,
 Solent exortum Solis antevertere,
 Studiusq; dare operam. Aurora quibus commoda
 Et amica, maximeq; est apta. Num venis?
 Ut agrè à lecto cuculus divellitur?
 Caput dum se ligit, dum nervos distendit, &
 Dum oscitat, abit integra hora. Venis tandem
 improbe?*

ASP.

ASP. Vix dum diluxit, parce Magister optime.

DID. Credo, tibi. Nam tuis oculis multa est adhuc

Nox. Accede propius, audin' paucis te volo.

ASP. Dictum puta, nempe, ut ego lectionibus
Maturè interfim, ne quid cessem. Hoc scilicet.

DID. Imò aliud. Admove te huc, jam faxo scies.

Quid hoc tibi placet? Et baculo pœnas dabis.

ASP. Quantus plagiarius! DID. Quid ais cessator, aut

Quid murmuras nequam? ASP. Nihil, rectè omnia. (dio?)

DID. Num quid ego murmurantem, te nebulo att-

ASP. Equidem precor. DID. Credo sane, ut devotio est,

Pater noster perversum. Sed ne feceris

Temerè, de natibus ludetur tuis. Cave.

Ad lectionem, verbero, sequere me. ASP. Sequor.

ACTUS II. SCENA II.

Agapetus, Parinus.

CUR adeò Parine curris, bone commilito?

PAR. Cur? quod dicunt vulgo, lep9 pro carnib9

AGAP. Quid hoc proverbii est? Ænigmata loqueris.

PAR. Quia nisi adfuero in tempore antè catalogum
Recitatum, actum est de pelle mea. Hic quidem
nihil

Periculi est, modò præterita est sexta. Horologium
In-

Inspice, manus nondum attigit punctum, quod ab
 Hora æquis spatiis horam dirimit. PAR. Ast ego
 Vix habeo fidem horologiis, mentiuntur haud
 Rarò. AGA. At mihi fide, qui campanæ his auribus
 Vocem audivi. PAR. Sed est & aliud, undè magis
 mihi

Etiam timeam. Reddenda hesternæ est lectio
 Memoriter, vereor ut possim. Væ, væ mihi.

AGA. Commune periculum narras. Nam & ipse
 vix

Satis teneo. PAR. Et nosti, mi vir, sævitiam

Præceptoris. Capitalis omnis est ei

Noxa & sanè magis non parcit clunibus

Nostris, quàm si corium esset fortasse bubulum.

AG. Verùm is non aderit in ludo. PAR. Vicarium

Igitur quem constituit sodes? AG. Cornelium.

PAR. Strabum illum? Væ nunc, væ nostris natibus.

Is est

Orbilio plagosior. AG. Verum refers,

Et ideò non rarò precatus sum illius

Brachio paralyfin. PAR. Ego idem feci vel millies.

AG. Res non agitur de capite, sed de parte, quæ

Diversa est. PAR. Non agitur quidem. Verùm

mori

Libentius velim, quàm virgas perpeti.

AG. Non tecum sentio. Si mortuus semel

Fueris, non tunc revivifces. *At verbera &*

Vibices virgarum, momentanea mala

Sunt, cum dolore pariter expirantiâ.

Forti ergo sis animo, nec cures verbera,

Sicut ego floccipendi ea semper. Dicere

Sum

Sum solitus, quoties virgis cædor maximè:

Hinweg ist der Schmerz/

Fröhlich ist mein Herz.

Idem quoque tu facias. Sodalis ero tibi

In pœnis, si tu fortè verberaberis.

Namque & ego titubabo, quasi lecta nesciam.

PAR. Habere in pœnis socium, dicunt gaudium

Esse. At tu potiùs in aurem fuggere clanculum,

Quæ defunt, cum recito. Sic liberaveris

Utrumque periculo. Ego quoque tibi faciam i-
dem.

AG. Annitar sanè sedulo, ut te liberem.

Verùm nunc tempus est, eamus ocyus.

ACTUS II. SCENA III.

*Didascalus, Parinus, Agapetus, Cosmius,
Aspondus, Cletus, Philedonus, Acrates, Achab-
risto, Nephalius, Acolastus, Musophilus, Eubulus, Philema-
thes, Philautbus, Evachetus, Evaristus, Mispolus, O-
cernus, Tolmetus, Carolus, Lambertus, Eugenius,
Pamphilus.*

DIDASCALUS.

A Jove principium sit, & à Jove finis aderit.

Nunc igitur nostras lectiones à piis

Precibus & cantu nos auspicari decet.

Jam canite cuncti, postmodùm precamini.

CHORUS.

1. Somno reffectis artubus,

Spreto cubili; surgimus.

Nobis Pater canentibus

Ade-

Adesse te deposcimus.

2. Te lingua primùm concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Ut actuum sequentium
Tu sancte sis exordium.

3. Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno fideri,
Ut culpa, quam nox intulit,
Lucis labascet munere.

4. Precamur idem supplices,
Noxas ut omnes amputes,
Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.

EUBULUS.

Actiones nostras, quæ sumus Domine, adspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, Amen.

PHILOMATHES.

Christe, fac, ut sapiam, quia tu sapientia Patris
Solus es, & tecum qui sapit ille sapit.
Heu! quantæ tenebræ, quam vana scientia mentem
Vexat! quis verum dulce docebit iter?
Ad te confugio, qui Lux mortalibus ipse es,
Per quem lenferunt cuncta creata diem.
Da mihi divinum lumen tenebrasque repelle,
Spiritus illustret pectora nostra tuus!
Non equidem (fateor) tanto sum dignus honore,
Sum miser & multo crimine Christe reus;
Sed tamen infuso confido sanguine, cuius
Purgabit sordes guttula parva meas.

Non

Non mihi quaero lucrum, vanam non arrogo lau-
dem.

Et laus & lucrum tu mihi solus eris.
Illustra mentem, caelestibus ignibus imple!
Nemo mihi, praeter te, tua dona dabit.
Ipse feram dulces, laudum tibi munera, grates.
Nil homo majus enim, quod tibi reddat, habet.

ACOLASTUS.

Σύμβολον τῶν Ἀποστόλων.
Πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα, παντοκράτορα, ποιητὴν
οὐρανοῦ καὶ γῆς.
καὶ εἰς Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ,
κύριον ἡμῶν &c.

MUSOPHILUS.

הַפְּלִירָה הַמְּשִׁירָה:

אָבִינוּ שְׁבַשְׁמִים:

יְתַקַּרְשׁ שְׁמֶךָ: תְּבוּנָה &c.

PHILEDONUS.

يَا اَبُونَا نَا اَللّٰهِي قَبِّ اَللّٰهِي وَ اَللّٰهِي &c.

Oratio Dominica Arabice.

Ja Abuna' Iledsi phi' ssemayvâti.

1. Lijûtekaddefi smokca.
2. Litati melcutoca.
3. Litecun meschytoca, kema phi' ssemai vveala' lardsi.
4. Chua

4. Chübzena kephaphena árhina phi' ljeûmi.
 5. Wagpher lena chatajana keema negphero
 nahhno limen achtaa ileina.
 6. Welatadchilna'ttegarbba.
 7. Lekin negg jina mina scherereri.
 Lianna, leca' Imülca, valkovvata, valme-
 gida ile lebedi, Amina.

ASPONDUS.

اٰنم و حَقْلَانِ

&c.

و صَبْرَ مَطْرٍ

Syriacè.

Abhun dbhaschmajo.

1. Netkadaſch Schmoch.
2. Tithe malchutoch.
3. Nehve Zebjonoch, ajchan o dbaschmajo, oph
 b' àr-o.
4. Habh lan lachmo dſcunkonan jaumono.
5. Waſchbuk lan chaubhain aichano d' oph
 chnau ſchbakan l' chajobhain.
6. Wlo tahlan l' nesjuno.
7. Elo pazan men biſcho.

Metül dediloch hi malchutho' v'chailo vetesſch
 buchto leolam olmin. Amin.

MISPOLUS.

Πατέρες ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς ἔθρανοῖς, ἀγιασθήτω τὸ
 ὄνομά σου. ἐλθέτω &c.

CARO.

CAEROLUS.

Pater noster, qui es in caelis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat &c.

DIDASCALUS.

Sedete. Legat decurio jam Catalogum.

ACOLASTUS.

Prælegit Catalogum, cæteri condiscipuli
figillatim respondent:

Adsum.

DIDASC. Omnes adesse vos hic discipulos meos,
Ex animi certè gaudeo sententia.

Quare in proposito pergam. Vos attendite.

Legere, & non intelligere, negligere est, ait

Quidam, & verè. Sic multis lectionibus

Præceptorum interesse, & certi in memoria

Nihil reportare ex illis, est perdere

Tempus, bonasq; horas malè collocare. Nam

Quid prodest, si audias, quod effluat statim?

Et pessimè merentur de Scholasticis

Discentium, qui studia non examinant

Repetitionibus & recitationibus.

Quid igitur didicisti, tu Pamphile, recita

Ex Vestibulo Comenii proœmium.

PAMPHILUS.

Salvete pueri, Seyd gegrüßet ihr Knaben.

Venite tirunculi Kommet her ihr Schülerlein.

Discite latinam linguam, Lernet die Lateinische

Sprache &c.

DIDASCALUS.

Rectissimè didicisti, laude dignus es.

Nunc Eugeni tu quoq; recita statim velim

Vestibuli partem assignatam tibi pridie.

Eue-

EUGENIUS.

Caput 7. de Virtutibus

κεφάλαιον ἑβδόμου, περὶ τῶν ἀρετῶν.

Virtutibus stude.

Σπύδαζε περὶ τῶν ἀρετῶν.

Fuge Vitia,

Φεῦγε τὰς κακίας.

Quæ lex vetat.

Ἄς ἀπαγορεύει ὁ θεσμός.

Ne viola legem, serva eam.

Μὴ τῷ θάβαινε τὸν νόμον, ἀλλ' ἔμμενε αὐτῷ.

Qui flagitium, scelus, vel piaculum horrendum
atqve nefarium patrat.

Ὁ δεινὸν, καὶ χέτλιον ἄγος, μῦσθ,
ἢ ἀσέβημα πρᾶστων (ἐργαζόμενθ)

Scelestus & valde nequam est.

Μιαρὸς καὶ λιπόνηρός ἐστιν.

DIDASCALUS.

Musophile, videam, quid memoriâ tenes,

Ex Janua lingvarum Amos Comenii?

MUSOPHILUS.

Cap. LXVIII. κεφαλ. ξη.

De Schola & institutione.

724. Quoniam literati ad omnia habiles esse,
âdiotæ vice versa parùm societati humanæ con-
ferre deprehenduntur, Scholis (phrontisteriis,)
ubi rudes erudiantur, opus est.

725. Αἱ σχολαὶ, ἐν αἷς, οἱ γράμματοι παιδεύον-
ται

ται πανταχῶς ὀφέλιμα. Ὅι γὰρ πεπαιδευομένοι
πρὸς ἅπαντα εὐφυεῖς τε καὶ ἐπιτήδαιοι, οἱ δὲ ἀπαι-
δευτοὶ ὀλίγοι αἰετῶ κοινῶ βίῳ συνενηνόχασιν.

725. At hæ non sunt, ut fatui opinantur carni-
ficinæ, sed Ludus, dummodò discipulus docilis,
callidum, cordatumq; nanciscatur præcepto-
rem.

726. Οὐδ' εἰσὶ κατὰ τὸ τοῖς ἀβελτέροις δοκῶν,
βασανιστήρια, ἀλλὰ παιδιὰ, ὅταν εὐμαθῆς τις διδασ-
κάλῃς ἱκανῶς καὶ Φρονίμῃς ἐπιτύχοι.

726. Ille enim si discit spontè, percontatur,
(quærit) avidè & auscultat attentè; hic si docet
lubenter, informat providè, & inculcat assiduè;
uterqve eximio perfruitur delectamento.

726. Ἀμφοτέροι γὰρ μεγίστης ἡδονῆς ἀπολαύουσιν,
ὁ μὲν ἐθέλοντι μαθῶν, ὀπιθημητικῶς ζητῶν, καὶ σπυ-
δαίως ἀκῶν, ὁ δὲ ἀσμένως, Φρονίμως, δεξιῶς,
ἀπαυσι διδάσκων.

Didascalus.

Rectè didicisti lectionem, dignus es
Laude. Tuum pensum quoq; tu Mispole recita
Ex orbe picto Joannis Comenii.

Mispolus.

Cap. XCIV. Bibliopolium.

Bibliopola vendit libros in bibliopolio, quorum
catalogum conscribit. &c.

Didascalus.

Nunc agè, tu Philomathe, recita Cornelii,
Nepotis Romani Historici Themistoclem.

Philomathes.

Themistocles Neocli filius Atheniensis. Hu-

B

jus

ius vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt e-
mendata virtutibus, adeò ut anteferatur huic
nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est
ordiendum, Pater ejus &c.

DIDASCALUS.

Sufficit. Es quoque laude tuâ dignus. Epistolam
Ciceronis ad familiares siste decimam
Libri primi, tu Acolaste,

ACOLASTUS.

M. T. C. Valerio FCTO.

Cur enim tibi hoc non gratificer, nescio præ-
sertim cum his temporibus audacia pro sapientia
liceat uti. &c.

DIDASCALUS.

Ex Hesiodo Musophile recita periodos
Aliquot Græcas dierum & operum citò.

MUSOPHILUS.

Μῦσαι περίηθεν, αἰοιδῆσι κλείεσσαι,
Δεῦτε δέ, ἐννεπέτε, σφέτερον πατέρ ὑμνεΐσται. &c.

DIDASCALUS.

Rectissime recitasti, (laudo te,) tuam
Nunc lectionem. Agapete jam cedò tuam
Ex Virgilio, Poetarum illo principe
Latinorum, descriptionem scilicet
Famæ.

AGAPETUS.

Extemplo Lybiæ magnas it fama per urbes:
Fama, malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo &c.

DIDASCALUS.

Hæc verba tu velim rectè observaveris,
Ne patrato scelere eveniat idem tibi

Nunc

Nunc age, tu Acrate, quantum didicisti, sciam,
 Ex Sulmonensi illo Poëta bellulo
 Recita libri primi Faſtorum ad Cæſarem
 Germanicum particulam aliquantulam.

ACRATES.

Ecce tibi fauſtum, Germanice, nunciat annum
 Inq; meo primum carmine Janus adest. &c.

DIDASCALUS.

Sufficit. Eubule, Juſtini recita caput
 Primum libri primi de primis Regibus.

EUBULUS.

Principio rerum, gentium nationumq; &c.

DIDASCALUS.

Sat eſt. Nunc ad Philautum propero. Horatium
 Recitabis tu. Surge igitur & odam dicito
 Primam, libri primi ad Mecænatem bonum.

PHILAUTUS.

Mecænas atavis edite Regibus,
 O & præſidium, & dulce decus meum.
 Sunt qui curriculo pulverem olympicum
 Collegiſſe iuvat &c.

DIDASCALUS.

Profanis expoſitis ſic lectionibus,
 Ad ſacras pergimus, quique locus prior
 Debetur jure aliàs in omnibus Scholis.
 Vos igitur duo Tolmete atq; Evachete nunc
 Commilitones audacter certabitis,
 Recitatis quæſtionibus ex Compendio
 Hutteri Sacris quibus articuli de Deo.
 Victori præmium dabitur victi locus.
 Tolmete tu prior incipe. Evachete eum
 Interroga. EVACH. Quid eſt Deus?

To

TOLMETUS.

Deus est essentia spiritalis, intelligens, æterna, verax, bona, pura, iusta &c. Proba unum esse Deum?

EVACHETUS.

Deut. 6. v. 6. Marc. 12. v. 19. Audi, Dominus Deus noster Jehovah unus est.

Esa. 44. v. 6. Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus. &c. Annon tres sunt Dii, siquidem Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus S. est Deus?

TOLMETUS.

Pater quidem est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus, personaliter sumpto &c. Quot sunt Personæ Divinitatis?

EVACHETUS.

Tres. Pater, qui à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius, qui à solo &c. Proba Trinitatem ex Scripturis?

TOLMETUS.

Psal. 33. v. 6. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis &c.

DIDASCALUS.

Tolmetus unum vitium commisit modò, Sed Evachetus plurima. Cede ei locum. Evaristus & Ocnerus vos certaminis Specimen nunc dabitur lectionum de plagis Infigendis, quinque ex Syntaxi regulas Uterque recitando. Evaristus incipit.

EVARISTUS. Cap. 2.

Reg. I. Adjectivum & Substantivum &c.

Reg.

- Reg. 2. Relativum cum antecedente Subst. &c.
 Reg. 3. Appositionem vocant, quando duo vel &c.
 Reg. 4. Duo vel plura Substantiva per Conj. &c.
 Reg. 5. Interrogativum & redditivum &c.

DIDASCALUS.

Commisisti vitia non plura, quàm tria.
 Ocnerere videam quot tu commissurus es?

OCNERUS.

Nomen cum Genitivo.

- Reg. 1. Substantivum cum Substantivo &c.
 Reg. 2. Quæ partitionem significant &c.
 Reg. 3. Adjectiva quæ curam, desiderium &c.

DIDASCALUS.

Taces? cur non pergis? Fuisi negligens.
 Ocnerus diceris, hoc est, piger atque improbus.
 Cum nomine sic omen habes. Eapropter bonus
 Evaristus, victor ovans, referat illicò
 Palmam, exhibitis Ocnero jam tribus plagis.
 Tu Carole surge nunc cum Lamperto tuo
 Condiscipulo, colloquium mox trigesimum
 Quartum ex Corderi libro primo dicite
 Memoriter, & tu Carole fac exordium.

CAROL. Habesne multos libros? LAMP. Non
 admodum. C. Sed quos habes? L. Rudimen-
 ta Grammaticæ, Colloquia &c.

DIDASCALUS.

Placet mihi vestra diligentia, probi
 Mei discipuli. Pergo, jam Niphalius
 Dicat: Quæ sint amplificationis in
 Rhetorica figuræ? Quod docui proximè.
 NIPH. Quæ non ornandæ orationis gratiâ

B 3

Tan-

Tantum, sed augenda etiam adhibentur comode.
 DID. Unde oriuntur figurae hae? NIPH. Cum omnes Rhetorum

Figurae, quas sententiarum dicimus,
 Tum ex potissimum, quae orationis &
 Styli augmentum, oriuntur ex Dialecticis
 Locis. DID. Recte. Dic porro quae figurulae,
 Ex definitione nascuntur bona?

NIPH. Illae Tropi denominatur omnibus.

DID. Quid Expolitio est? NIPH. Eandem quae explicat

Sententiam, commutatis verbis. Ut: *Haud
 Est fortitudo, sed temeritas maxima,
 Sine honesta aliqua ratione adire pericula.*

DID. Probe dixisti. Tu porro Cosmi, da mihi
 Jam Distributionis exemplum optimum.

Cos. Cicero. *Hae studia adolescentiam alunt, & hominis
 Senectutem oblectant, secundas res quoque*

Ornant. DID. Quid est Dialysis? Cos. Dissolutum est
 Dixere. Ut: *Judices sunt partim gratia,*

Partim pecunia corrupti. DID. Dic, quid est

Congeries? Cos. Talis est apud Salustium. Ut:
*Audax temere animus, varius & subdolos,
 Cujuslibet rei verus simulator, &*

Dissimulator. DID. Belle. Frugi te judico.

Da exemplum, Asponde, incrementi. Cessator, an
 Nescis? Pollicitus sum dudum tibi malum.

Cum sterteres mane, haec didicisse oportuit.

Rapite hominem quantum potestis, ut luat
 Mihi poenas negligentiae. Infortunium

Profecto, feres. Sic incrementi te modum

Do.

Docebo, fac sis porro vigilantior.

Tu dic Philedone, dic, quidnam taces? Et hic Ignorat. Porrige huc manum, plagas habe

Meritas. Responde Achariste. Mutus es?

Tu negligentia etiam sume verbera.

Parine, recita tu. PAR. Cicero: *Nempè facinus*

Vincire est civem Romanum, magnum scelus.

DID. Porro quid? PAR. *Verberare.* DID. Et verberaberis

Tu, nisi sequentia expedite dixeris.

PAR. *Propè parricidium.* DID. Quin pergis? Mutus est. scio.

Tu Agapete dic. Quin dicis? AG. Ego quoque ne-

DID. Satis petulanter respondes mihi tu quidem.

Dicite, quid fecistis? quæ isthac negligentia est?

Non impunè feretis nequam Discipuli.

Hocine operam est dare literis? *Ab ocio*

Schola nomen habent, non quod vobis ocio

Dies sint transigendi turpiter, sed ut

Hoc omne quod vobis conceditur ocii à

Laboribus manuum, in discendas literas

Id conferatis. Credo conspirasse vos

In literarum perniciem Et tu Agapete, quod

Mihi videtur, proterus fieri jam incipis.

Haud sic pollicitus es. Porro, ne censeas

Licere vobis impunè contemnere

Literas, & spem parentum & nostram fallere.

Supinam excutiam vobis oscitantiam.

Non volo meâ vos corrumpi indulgentiâ.

Majore cum curâ in sacris versemini

Musarum imposterum. Nebulones estis, &

Magis otio, quàm rectis studiis dediti.
 Qvò fugis hinc nebulo tu nunc pessime? (a Scelus!
 Non sic ad astra itur. *Plurima tulit puer*
Et multa fecit, qui nunc cantat Pythia. (b
 Ah non datur ad Musas latâ currere viâ. (c
 Hæc levis sit monitio. Si deprehendo
 Ego vos posthac in simili negligentia,
 Severior ero vindex. *Oderunt mali*
Peccare formidine pœnæ, verùm boni
Virtutis amore. (d Et vos ergò fitis boni
 Virtutis amore, non gravis pœnæ metu.
 Repetite. *Nam lecta placet lectio quidem,*
At decies repetita placebit demum bene.
 A prandio pergam legere, si Deo placet.
 Priusquàm verò dimittamini ex Schola,
 Nunc singulis opponendum signum venit.
 Qvis autem vestrum fuit hac nocte signifer?
 Latinæ Lingvæ signum qui secum gerit,
 Observans cæteros, loqvuntur qui in Schola
 Germanicè, tradens eis ferulâ plagam,
 Imposterum caveant ut sibi Germanico
 Cuncti à sermone, Latium semper sed colant.
 PARIN. Hesternâ luce Philedono signum dedi
 Ego, sed reluctatur, nec illud fumere
 Vult obstinatus. DIDASC. Cur non vis id furcifer
 Recipere? PHIL. Non locutus sum Germanicè.
 DID. Audivistis nè vos loquentem cæteri?

CHORUS.

Audivimus cuncti Præceptor optime.

DID.

a) Agapetus fugit è Schola. b) Horat. c) Propertius.
 d) Horat.

DID. Silete modò, mox hoc compescam jurgium,

PAR. Testantur falsa omnes Præceptor optime.

DID. Aliter neqveo hanc vestrâ litem componere,
Nisi forte datâ, tetigerit hæc qvem, is est reus.

Asponde da sortem. ASP. Sortem do. DID. Hunc
indico.

ASP. Vigefimum Vau. DID. Primum, secundum,
tertium,

Quartum, quintum &c. A. b. c. d. e. f. &c.

Te nunc, fors, ut vides, tetigit, Philedone.

Ergò tres nummos jam dabis mulctæ loco,

In fiscum, sed ei prætereà vos singuli

Condiscipuli jam lectionum opponite

Exempla notata per omnes artes simul.

Qvas in phrontisterio didicistis antea,

Præsertim Grammaticæ necnon Rhetoricæ.

EUG. Bonus Vir, quid significet, mihi nunc dicitis

Nescis? Ein fromner Mann. Quæ regula?

Etiã ignoras, igitur jam sumito plagam.

PAMPH. Latine quidnam significat isthæc phrasis:

Die Zeit ist lang oder kurz? PHIL. Tempus longum
aut breve.

PAMPH. Quæ regula? Nescis? duæ adsunt regulæ.

Prima est: Adjectivum & Substantivum &c.

Secunda est: Conjunctio aut similia conjungit &c.

Nescivisti respondere, plagam sumito.

CAR. Felix, est generis cujus? PHIL. Omnis. CAR.

Regulam

Juxta quam? PHIL. Adjectiva unius terminatio-
nis sunt generis omnis. Habe plagam.

LAMP. Reus criminis, quæ regula, mihi dicitis.

B 5

RHIL.

PHIL. Adjectiva quæ curam, desiderium &c. habent
plagam.

Quid tu Philaute opponis mihi cede statim.
Nescis? Ego tibi jam oppono, mihi respondeas.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Tropus quis est in hac sententia? taces?

Est subjecti pro adjuncto Metonymia, calix
Pro vino in calice ponitur. Quare plagam tene.
DID. Oppone Acolaste cito, ne tempus transeat
Frustra. **ACOL.** Omnia conando docilis solertia
Vincit, quid significat? **PHIL.** durch den Fleiß kam
man alles ausrichten. **ACOL.**

Adestne quis in præsentis sententia
Tropus? quid cessas? ignoras? jam discito,
Abs me. Latet is in vocula solertia.

Est adjuncti pro subjecto Metonymia,
Solertia pro solerti homine ponitur.

Habe plagam. **PHIL.** Opponas, Mispole Syn-
dacticum

Exemplum. **MISP.** Dives pecoris est quæ regula?
PHIL. Hanc regulam ego scio, quæ verbis his
sonat.

Adjectiva quæ copiam & inopiam &c.

Extende jam mihi tuam manum illicò,
Percutiam lætus ut te digno verbere.

DIDACS. Musophilus opponat. **MUS.** Quid hæc
parcemia notat?

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

PHIL. Im Krieg ist kein Heil/umb Frieden bitten wir.

MUS. Te pacem poscimus, quæ regula? Nescis? Est:

Certa quædam activa sunt, quæ duos &c.

Cedo

Cedò ferulam, hac te afficio jam lætus plagâ.

PHIL. Ego verò reddam eandem quovè lætus tibi.

ACR. Spes confisa Deo nunquam confusa recedit.

Quid hæc sententia denotat Germanicè ?

Wer Gott vertraut / wird nicht zuschanden /

Ignoras ? Ergò afficio jam te hoc verberere.

EVACH. Festina lentè, mihi reddas Germanicè.

Non constat tibi ? rudis es sermonis Latii ?

Id ex me parvulo dicas ergò velim.

Eyle mit weile, Nunc feriendam porrige manum.

PHIL. Ocnere oppone. Nescis ? Igitur profero

Ego exemplum, ad quod mihi jam tu respondeas

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Quid significat ? Nescis ? Tene tuam manum.

Tolmete responde. Etiam ignoras ? habe plagam.

Evariste phrasin tandem dic germanicè.

EVAR. Die faulen Hummeln werden von den Biens-
stöcken abgetrieben. Oder : Wer nicht arbeitet / der
soll nicht mit essen.

PHIL. Nomen & omen habes, fateor, tu jam victor

EVAR. Cedò igitur ferulam, quò te feriam leniter.

PHIL. Clete oppone. CLET. Quid hæc significat
phrasis sequens :

Urit maturè, quod vult urtica manere ?

PHIL. Es krümmet sich bald / was zum hacken wer-
den wil.

Tu Niphali oppone, paratus non es, tibi

Ego oppono : Quo semel est imbuta recens ser-
vabit odorem, Testa diu.

Quid significat phrasis ? Nescis docebo te

Bone frater Teutonicè : Jung gewohnt / alt gethan.

Ferio

Ferio manum. COSM. Amor omnia vincit, quid
denotat?

Cedò! PHIL. Die Liebe übertwindet alles.
Parinum metuo nimis. Exprome spicula
Tua contra me citò. PAR. Audaces fortuna juvat.
Quisnam tropus adest in parcemia, certè
Fugit te, ut video, ex ore hoc disce meo.
Est Metaphora desumpta à Gentilium Diis.
Hanc expendo tibi signifero plagam ultimam.
DID. Claudite jam pueri rivos fat prata bibere.
Nunc argumenta corrigenda essent styli.
Sed id in aliud transmittemus tempus. Modò
A quibus incepimus, jam peragamus preces.
Rursus devotas, svavi adhibitâ Musicâ.
Cantu peracto Corycæi relliquas
Preces distinctâ voce & clarâ personent.

CHORUS.

Vespera jam venit, nobiscum Christe maneto.
Extingvi lucem ne patiare tuam.

1. Te lucis ante terminum,
Rerum creator, poscimus,
Ut solitâ clementiâ
Sis præses ad custodiam.

2. Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemq; nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

3. Præsta, Pater omnipotens,
Per Jesum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum,
Regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

EUBU-

EUBULUS.

In nomine Patris, & Filii, & Sp. S. Amen.

Gratias ago tibi, mi Pater cœlestis, per Jesum Christum filium tuum dilectum, quod me hac die ex gratuita misericordia tuâ custodivisti. Oro te, ut velis mihi condonare omnia peccata mea, quæ injustè perpetravi, velisq; me hac nocte tuâ gratiâ benignè conservare. Quia ego me, meumq; corpus & animam & omnia in manus tuas commendo. Tuus Sanctus Angelus sit mecum, ne Diabolus ullum jus in me reperiat. Amen.

PAMPHILUS.

Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur &c.

DIDASCALUS.

Domum modeste per plateas pergite,
Salutantes passim obvios, reverentiâ
Cum debitâ, ut à cunctis jam collaudemini.

ACTUS II. SCENA IV.

Didascalus Solus.

AH quanta est *Pædagogorum* miseria? Deus
Abone, & quanta calamitas. In *Æsopi* apologis
Queritur apud Idolum Jovem asinus de suis
Aerumnis, quotidianis operis confici
Se & enecari. Sed querela hæc justior
Est *pædagogorum* de miseriis suis
Profectò, si revocetur res ad calculos,
Quàm asini. Quis enim ullo in pistrino asinus per-
tulit

Tan-

Tantum mali, quantum mediocris artium
 Doctor in uno alteroq; docendo molestiæ
 Perpetitur, & laboris exhaurit? Rogo
 Vos, animû advertite. Primû etenim cum traditur
 Puer, docendus pædagogo scilicet,
 Et ad virtutem humanitatemq; impigrè
 Informandus, videte quæso, quàm arduam &
 Duram provinciam plenamq; miserrimi
 Laboris, ac periculorum capiat! Ah
 Non antè matura pueri ætas auditur, ut
 Mittatur in scholam & ludum literarium,
 Quàm cum jam nunc *domesticâ indulgentiâ* est
 Corruptus: & Vitia insuper, tum intelligit,
 Tum degustavit. Is non modò nullum quidem
 Amorem literarum vel admirationem,
 Ac potius ergà illas acerrimum odium,
 Contemptum Præceptoris, & turpissima
 Exempla adfert domo. Cum monstro ejusmodi
 Præceptori decertandum est. Quod si doces,
 Peregrinatur animus pueri. Atq; ut optimè
 Succedat, est sexcenties idem penè
 Inculcandum, dum illi invito hæreat animo.
 Cum paululum dein' modo despexeris,
 Ex animo pueri rursus omnia effluunt
 Illa, toties decantata. Et si reddere
 Cogas, quæ didicit, tum verò ludibrio
 Haberi planè videas Præceptorem, eò,
 Quia puero voluptas est, fecisse, quod
 Præceptorem suum urat atq; exerceat,
 Ut contumacia juventutis est modò.
 Si quis rudem docere cogatur asinum

Ludree

Ludere fidibus, aut saltare camelum, precor,
 An non egregiè miserum illum dicas mihi,
 Laborem qui frustra sumat vel maximum?
 At tolerabilius id est, quam nostros indies
 Pueros docere. Namq; ut promoveas nihil
 In asino vel camelo exercendo miser,
 Certè illi nullâ injuriâ molestiam
 Cumulant. At isti belli pueri, strenuè
 Cum nos defatigarunt, in nos insuper
 Sunt contumeliosi. Invenias qui palàm
 Ausint convitium facere Præceptoribus,
 Et manus auriculas imitatur clam mobilis
 Albas. Quid cedò est, si non hæc est miseria?
 Sed quid queri juvat. Necessè est, quemlibet
 Sux vocationis acquiescere
 Stationi, & fidelem esse cum patientia.
*Sis asinus quemcumq; asinum sors nimis aspera
 Fecit, dixit quidam quam prudentissimè.
 Ibo nunc, ut videam, quid rerum intus agitent;*

Seqvitur Interfcenium II. Ger-
 manicum.

ACTUS III. SCENA I.

*Philedonus, Acharistus, Parinus,
 Agapetus.*

PHIL. Ut Præceptorem Dii perdant omnes mali,
 Orbilium illum, factitavit hoc mihi
 Jam sæpiusculè, faxo, ne porrò faciat.
 Quare ejus nunq. posthac ludum ingrediar: aut
 Moriar potius. Hoc dico vobis seriò.

ACH.

ACH. Idem plane & ego sentio, ita doluit mihi
Hesternæ plaga. Malo quidcunq; in posterum
Et experiri & perpeti, quàm Orbilii
Illius flagra. Grandes jam fermè sumus.

Iniquum est nos virgis adhuc cædi asperis.

PAR. Ego ita inflammatus certè sum ira & odio

Adversus Præceptorem, plagiarium

Illum, ut si adesset, dentibus discerpere

Hominem cuperem. Egonè regrediar ad ipsius

Scholas? Nunquam faciam. Habeo septende-
cim

Jam annos, virgas nolo ego quidem pati amplius.

Quamvis duri hæc in parte parentes sunt mihi,

Malo tamen quidvis vel facere vel perpeti,

Quàm sub carnifice illo dehinc porrò discere.

Promissis tu quidem stetisti Agapete mi,

Ut socius mecum unà plagas perfortiter

Acceperis. Ego tua vicissim gratiâ,

Omnia volo atq; cupio, ad usq; sanguinem.

AG. Ego mihi ex ephebis excessisse jam

Videor, & verbera virgarum paterer adhuc?

Non si me magnus fulmine perdat Jupiter.

Plagas non curo, sed ignominiosum erat,

Nos grandiusculos pusiones malè

Tractari. Valeat ergò Schola & Didascalus.

Meas illi nates non præbebo amplius.

PHIL. Si placet à prandio eamus in proximum

Nemus, quod valdè amœnum est. Namque &
animus &

Cœlum & dies invitant ad ludendum. Age,

Si sic videtur omnibus, ad duodecimam

Huc

Huc confluamus, atq̄ve agamus hilariter.

ACH. Placet consilium. Vobiscum ego volo omnia.

PAR. Et me vobis ultrò sodalem præbeo.

AG. Ego non nihil vereor Episcopi mei Boni senis, & docti viri inclementiam.

PHIL. Quid Episcopum times? Idem is fecit puer.

ACH. Ludamus, rideamus, & jocemur hoc Die simul unà, q̄vi dudùm unà flevimus.

PAR. Ne deferas fratres, Agapete candide, Voluptatum sis focius, q̄vi pœnæ lubens Esse voluisti. Sine te frigent omnia.

AG. Fiat, q̄vod vultis ergò. Et me vobis dabo.

Verùm q̄vas hic q̄væso mulieres conspico?

Meretricio videntur cultu incedere.

Sistamus hic gradum, ut audiamus q̄vid velint.

PHIL. Expostulat illa, cum diademate Regio, Manete, fortè nobis præda parabitur.

ACTUS III. SCENA II.

Voluptas, cum tribus Sirenibus: Leuco-

sia, Ligea & Parthenope. Virtus cum IX. Mu-

sis: Clio, Melpomene, Thalia, Euterpe, Terpsichore, Erato,

Calliope, Urania & Polyhymnia. Agapetus, Philedonus,

Acharistus, Parisus.

VOLUP.

HEus! tu Famelica, nùm meministi bestia,

Tibi indixisse me bellum insanabile,

Et perpetuum? Quid ergo hic in regno meo

C

Tib

Tibi est negotii scelerata? quid obambulas?
 Quid vis? quem quæris? fortè Juvenes optimos
 Illos ut seducas? Vix me contineo, quin
 Venefica tibi in oculos ungvibus involem.
 Fuge hinc ab oculis mendica, aut pulsaberis,
 Viamq; hanc cerebro disperges. Nunc apagete,
 Vel malè multaberis. Non tu hinc scelesti abis?
 Diminuam ego caput tuum hodiè, nisi abis hinc.
 VIRTUS. Quid tibi feci, aut quid facio, quod me
 persequi

Studes, Voluptas, plus quàm capitali odio?
 VOL. Rogas incantatrix? Non ego tecum modò
 In disputationum arenam subdolam &
 Sophisticam descendam, sed fortissimo
 Duelli tecum certamen inibo pectore.

VIRT. Non ego, bona tu, certandi huc veni gra-
 tiâ,

Nec enim bellatrix sum. Si te tanta stimulat
 Petulantia ac abdominis prurigo, ut hinc,
 Quomodo animi tui libidinem velis
 Explere, nescias, certato cum tuis,
 Et benè sit tibi, nec mihi paupertatem exprobres.

VOL. Mendica tu, quid gannis? Non possum am-
 plius

Mihi temperare, quin tibi protinus involem in
 Capillum & sic animo satisfaciam meo.

VIRT. Obsecro Juvenes, ferte miseræ & innocen-
 ti opem,

Ferte auxilium, jam subvenite inopi mihi.

VOL. Etiam clamas? Comittes iterum ut vapules.
 Scelesti est hæc ô Juvenes & venefica,

Ca

Cavete ne dictis moveamini suis.

Cavete. Nam vestrâ huc processit gratiâ,
Ut vos seducat, fallat, atqve pertrahat
Vos in suarum miseriarum retia.

VIRT. Non ulciscar ego injuriam hanc, Deus meus
Ulciscetur suo tempore. Dixit etenim,
Mihi vindictam, & ego retribuam. (a Illi meam
Causam commendo vindicandam perpetim.

At vos adolescentes boni, cognoscite
Quæ sim, nec maledicæ date aures credulas.

Ego Virtus sum, dilecta Diis & hominibus.

VOL. Nolite audire garrulam, nec credite.

Ego vobis quæ sim dicam, & coloribus

Eam suis depingam, juvenes optimi.

Laudet te os alienum, sic scriptum est bestia, &

Laus propria lordet, vulgè verè dicitur.

Audite me, juvenes ætate floridi,

Non mentior. Hæc sentina malorum est omnium,

Laboris mancipium, atqve paupertatis &

Aerumnarum scaturigo ac fons miseræ.

VIRT. Cur mentiendo miseros adolescentulos

Is perditum? Sed sic soles. Audite me,

Cupio servare vos, hæc verò perdere. (licet.

VOL. Quàm blanda es meretrix, hos ut capias sci-

At vos aures obturate, juvenes mei.

VIRT. Sine, ut dicam, dein' si quid habes, objice.

Facile in hac causa patior hos ego iudices.

VOL. Quid mendica obsecro dignum laude af-

feres?

(Itæa?

VIRT. Sim mendica, (sine loquar) quid tum po-

Talis sum, qualem me Poëta Silius

Ita-

a) Rom. XII. 14.

Italicus descripsit, cuius & hæc verba sunt:
 Mecum honor & laude & lato gloria vultu,
 Et decus & niveis victoria concolor alis,
 Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.
 Casta mihi domus est celso stant colle penates.
 Et ne testi videar ego inniti unico,
 Audite jam Poëtam Plautum illum insuper.
 Virtus premium est optimum, virtus omnibus
 Rebus anteit profectò, libertas, salus, vita,
 Res, parentes, patria & prognati, tutantur, servantur.
 Virtus omnia in se habet. Omnia adsunt bona, quem penes est
 Hæc, non ego fingo, sed doctissimi viri (virtus.
 De me dixere ejusmodi. Jam accedit his
 Juvenalis noster, referens, quàm sim nobilis,
 Tota licet veteres exornent undiq; ceræ
 Atria. Nobilitas sola est & unica virtus.
 Seneca inquit: Inter astra habet virtus locum.
 Et maximum quod est, idem Seneca refert:
 Nunquam Stygias ad umbras fertur incluta
 Virtus. Beatos non modò in hac vita, sed &
 Exaëto hujus vitæ curriculo, facio. Nùm
 Ergò sum contemnenda, & potius omnibus
 Non appetenda viribus? Vos Judices
 Estote. Egomet mihi merces pulcherrima,
 Et pretium dicor longè maximum mihi,
 Divitiis animosa meis. (a Porro hac gratiã
 Veni, quò vos, juvenum omnium pulcherrimos,
 Ad amorem invitarem mei, quæ maximo
 Opere amatores ornare soleo meos,
 Et temporalibus, æternisqve eos simul
 Bonis beare. Quid cupitis his amplius?

a) Claudianus.

Se-

Seqvami ergò me, & non seduètricem eam,
Cujus via mors est ac ignominia sibi.
Simplici ego incedo habitu, haud vos hoc abster-
reat.

Amica nempè Dei sum, cui verè placet
Humilitas. Ista est variâ veste amicta. Nam
Satanæ servit, Dei & hominum hosti perfido.
Atq; ejus aulæ est affecla superbissimæ, &
Aeternum cum Principe suo dominabitur.

Hæc vos monere volui, juvenes optimi.

Oratio veritatis est simplex, sed est

Mendacium varium. Monuisse sit satis.

VOLUPT. Dixistis Oratrix? Oratio splendida
Sanè fuit. Vah quantus splenduit nitor!

Vis quanta animos rapuit! At ego aliam tibi

Jam cantiunculam occinam, *Nasonis* hoc:

Rara quidem virtus, quam non fortuna gubernat,

Quæ maneat stabili cum fugit illa pede.

Audis te subditam mihi, teq; à meis

Gubernari? Quid hoc, fatin' tibi placet? Et

Addit quidem Poëta festivissimus:

In omne te scelus ruere, cum deserit

Te fortuna, soror mea. Quid pejus dicier

In te potuit? Italus ille filius tuus,

Idem te futilem appellat, nempè dictitans:

Nam virtus fuzilè nomen. Claudianus &

Dixit. Vile latens virtus. Audi quæso, quàm

Sis contempta ubiq;. *Juvenalis loquitur tibi:*

Qvis enim virtutem amplectitur ipsam,

Premia si tollas?

Quod te quoq; Philosophastra, nobilem facis,

Toto erras cœlo, indocta & juris nescia.
 Alii sunt quippè nobiles, alii quoque
 Qui virtuosì dicuntur, alii divites.
 Unde sequitur, quòd virtus planè non potest
 Dici nobilitas: Convenire tamen potest
 Divitibus hoc nomen, non tibi mendica tu.
 Glossa est notabilis in *Baldo atq; Bartolo,*
 Super legem. Nobiliores natalibus.
 Codice, de Mercatoribus & Commerciis.
 Ut efficiamini autem verè nobiles,
 O vos adolescentes longè suavissimi,
 Sequamini me Reginam, non pauperem
 Et mendicam, laboriosam, & anxiam
 Virtutem illam. Quam qui secuti sunt, ferè
 Omnes malè perierunt. Hac nil certius,
 Quàm quod vitæ hominis detrahat, & mortem
 vocet

Justa antè tempora. Ego verò contrà meis,
 Fortunas amplas, nobilitatem, & conjuges
 Pulcherrimas, cum dote maxima, insuper
 Longam, bellam ac incolumen vitam largior.
 Penes me latitia est solidumque gaudium.
 Tripudium & ovatio. Tristitiæ mater est
 Ista, exsiccans ossa, atque mortem concitans.
 Me omnes Reges terræ, & potentes populi
 Colunt, & coluerunt semper. Nec mea minus
 Castra sequuntur docti omnis generis. Me quoque
 Adorant jam pleræque virtutes, suâ
 Relictâ, aut potius abnegatâ dominâ. Erit
 Etiam propediem tempus, quo totus mea
 Sequatur castramundus. Fundamenta sunt

Jam

Jam pulchrè jacta. Quid restat igitur, meo
 Minus cur subjiciamini imperio, boni
 Juvenes? An sordidi magis quam splendidi
 Cupitis vitam exigere? Date mihi nomina.
 VIRT. Vix credederim, fore aliquandò, ut totus tua
 Sequatur castra mundus, nisi Musæ meæ
 Tollantur orbe, quas nunc in proscenium
 Vocabo. Mea vox si svadere neqveat his
 Juvenibus iter virtutis, Musarum soni
 Id præstent, quarum officium hi versiculi tenent:
Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone *Thalia*.
Dulciloqvis thalamos *Euterpe* flatibus urget,
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens *Erato* saltat pede, carmine, vultu,
Carmiua. *Calliope* libris heroica mandat,
Urania cœli motus serutatur & astra.
 Signat cuncta manu, loquitur *Polyhymnia* gestu.
 Adeste jam meæ Musæ svavissimæ.
 Nunc vos paucis volo. CL. En omnes hic adsum.
 VIRT. Agedum tu prima doce *Clio* adolescentulos
 Viam sectandam doctrinarum gnaviter.
 CLIO. Quid dulcius est historiarum studio?
 Hæc veritatis lux audit & temporum.
 Est testis fida, longæ vita memoriæ,
 Magistra vitæ & nuncia vetustatis est.
 Quemadmodum eam Cicero verbis pinxit suis.
 Hanc vos me præeunte Juvenes discite.
 Res gestas scire omnes à mundo condito
 Patriarcharum, qui ante & post cataclysmū piam

Vixerunt vitam, Regum populi, Cæsarum,
 Monarchumq; magnorum, atq; Principum,
 Pacis beatæ, nec non bellorum trucis
 Martis, Rerumq; publicarum floridum
 Statum, mutationes & tristissimas.

Hæc, inquam, scire Juvenes maximè juvat.
 Quod ego docere queo vos adolescentulos.

VIRT. Tu Melpomene tuas artes ediffere.

MELP. In casibus exerceri sultis tristibus?

Ego Melpomene vobis ostendam viam.

Sum docta namq; informare hic tragœdias

Homines, ostendendo fortunæ singulis

Instabilis varios casus, ut ne fortean

Florenti fidant nimium, aut adversâ suum

Impatientem doloribus despondeant

Animum, sed utraq; in fortuna firmissimum

Retineant, constantesq; sint hic perpetim.

Agite ergò nos seqvamini ô Adolescentuli.

VIRT. Thalia, quid tuis præstas, dic, artibus.

THAL. Libenter si forte velitis Comœdias

Spectare, Thalam me prompti seqvamini.

Nec arbitor despecturos artem meam

Vos, quæ facio mortales hic lætissimos,

Productis lusibus in apricum Comicis.

Si tristes vos labores studiorum premant,

Relaxare potestis vestras vires datis

Horis aliquot ad requiem perplacidissimam.

Ergò nos Musas Juvenes nunc seqvamini.

VIRT. Euterpe nunc significes artes quoq; tuas.

EUT. Si delectari cupitis fortè Musicâ

Tibiarum, ego Euterpe potero suavissimis

Modulationibus mulcere corcula.

Quis

Quis hominum non tristes curas hic gestiat
 Ex cordibus depellere, quæ mentes hic admodum
 Excruciant, ut recipiant vultus tetricos?
 Medelam morbis his affert mea tibia.

Ergò meum consilium vos nunc non spernite.
 Sed prompti Musas jucundas sequamini.

VIRT. Terpsichore, quid tuis præstas, dic, artibus?

TERP. S. Ego vero Terpsichore cytharâ dulcissimâ
 Mœstítiam ex tristibus repello cordibus.

Scio mortalibus curas hic, anxias

Sæpè creare dolores animo, quos condecet.

Ex mentibus repellere s'vavi Musicâ,

Præsertim cytharæ dantis jucundos socios.

Ne corpus contabescat curis turbidis.

Ego vobis proferam talia jam plurima,

Si modò vos Musas nunc vultis sequi.

VIR. Erato, quid adolescentulos doces? cedò?

ERAT. Quid adolescentes ô nimum s'vavissimi

Putatis dulcius esse nostris chordulis,

Quas Erato pectoribus exhilarandis gero?

Eccur nolitis nostra castra nunc sequi,

Cum nostrum quælibet tantam dulcedinem

Præstare soleat hic mortalibus suâ

Arte, hic quas nostros quoque amatores optimos

Docere paratæ sumus. Ergò adolescentuli

Meum consilium quæso nunc ne spernite.

Sed nuncio dato Voluptati malæ,

Quæ vos in casses conatur perducere

Suos, quibus irretiti perniciem malè

Æternam sentietis. Potius nunc chorum

Camœnarum sequamini jam singuli.

VIRT. Calliope jam tuas artes nunc dicito.

CLLAE

CALL. Et delectare volunt & prodesse; Comici,
 Quos carmina Calliope Heroica doceo.
 Hinc laude dignum hominem Musa veto mori,
 Eum per ora volitare virorum jubens,
 Compactis metro versibus. Quod utile (daries
 Nec non jucundum est. Quis enim non lau-
 cupit? Nisi improbis deditus sit sceleribus.
 Quare vos adolescentes averfari mihi
 Persvadeo. Quare viam sequamini
 Nostram, lateri Pieridum adhærentes probo.
 VIRT. Urania tu quid homines de cœlo doces?
 URAN. Deus os homini Creator sublime dedit
 Cœlumq; jussit intueri, sidera
 Quod ornant mirificè, hæc scire juvat maximè,
 Horum do sola ego Uranie scientiam.
 Hanc vos docebo, si vultis suavissimi
 Adolescentes, hunc tramitem ergò sequamini.
 VIR. Tu Polyhymnia quid præstas artibus tuis?
 POLYM. Ultima Musarum sim licet Polyhymnia,
 Tamen non-ultima, magis prima dicier
 Sum digna studiorum meorum meritis.
 Quis etenim quicquam præstare potest me sine
 Eloquentiâ, quod dignum sit laudaries?
 Hac ego vos quoq; fideliter nunc instruam,
 O Adolescentes sequimini nos belluli.
 VOLUP. Putasne tu verò mihi non quoq; Virgines
 Hic esse Sirenes, præstantiores magis
 Tuis miseris Musis, Mulis pauperrimis.
 Harum nunc intrò conditos audi sonos.
 Vos & Juvenes his vestras auriculas date.

Chorus Sirenum.

Dulcibus nunc cantibus, ô Sorores,
 Jubilemus, tempus adest serenum!

Nunc

Nunc Voluptatis capiatur hamo

Pulchra Juventus.

VIRT. Blandæ Sirenum sunt voces istæ. O mei
Adolescentes, cavete, fallet perfida.

Fallet, fallet, perdet corpus, simul animam,
Et perpetuò vos damnandos gehennæ dabit.

VOLUP. Quid obstrepis mendica, quin fugis illicò
E conspectu & oculis meis? Dolent mihi

Dudum oculi, quod te conspicio. Nisi fugeris,
Sceleratos illos eripiam oculos tibi,

Et te prostratam humi conculcabo pedibus.

VIRT. Sanguinolentæ ac atroces sunt minæ tuæ.

Bona verba quæso, ne sævi tantopere.

VOL. Etiam irrides? Ut te Dii perdant bestia.

Ad monomachiam te provoco, ut intelligant

Hi, cujus partes foveant, si talis es,

Qualem te dudum jactitabas. Aggredi

Cessas? Quid? Aperto Marre te hostem fortiter

Lacesso. Quid velut cancer graderis retrò?

Aut fortiter sta, aut turpiter fuge. En caput

Tuum peto, non posteriora, venefica.

VIRT. Nō sic pugnare, Magistro edocta sū optimo.

VOL. Non pugnabis nefanda, nec fugies tamen?

Sed verba hic sapientia fundes? Jam jam scies.

VIRT. Fer opem Deus meus! Auxilio adeste optimi

Juvenes, prohibete. Nam vim patior maximam.

Ridetis? Partes hi foveant magis tuas,

Ah, quàm meas. Sum derelicta ab omnibus,

Non me reliquit attamen Deus meus.

Etsi ejus hic vindicta se non exerit,

Ulciscetur tamen hanc graviter injuriam

Tempore suo, quo non speras, Tu videris.

Ego

Ego possidebo animam meam in patientia,
 Feramq; crucem Dei mei sine murmure.
 Ejus, ne me eneces, aderunt mihi Angeli.
 Te Diabolo commendo & ejus angelis.
 Musæ properate & fugite mecum singulæ.
 Locum linquamus infano prostibulo.
 Non nos decet pugnare pacificas Deas.
 Vol. Heus tu, quin præstolaris paululum? fuga
 Sibi consulit venefica, nec sapit malè.
 Heu fibulam tecum defer! Quin jam redis?
 Lætam reporto ab hoste nunc victoriam.
 Videte adolescentes mei, quàm propitios
 Habeam Deos, quàm sim felix ego undiq;
 Cur non mihi protinùs datis jam nomina,
 Meoq; vos subjicitis imperio levi?
 Promitto vobis omnes hujus seculi
 Delitias, & svavem vitam, ac læta omnia,
 Quid cogitabundi statis charissimi?
 Num tantâ opus deliberatione erit?
 Responde tu præ cæteris formosule, (a
 Nam genio non alieno à Regno nostro agi
 Videris, sicut & focii omnes hi tui.
 AGAP. Decora tu es, & polliceris optima,
 Magisq; nobis & majestas corporis
 Tui ac orationis splendor placuit, ut
 Verum fateamur, quàm Virtutis parvulæ,
 Abjectæ & simplicis, quæ persuadendi habet
 Autoritatem nullam penitùs. Ego lubens
 Tibi me dedo. Regni tui clientulum,
 Agapetum hunc. Pro se vestrum quisq; respon-
 deat.

a) Agapet.

Vol.

VOL. Recipio te Agepetum in clientulum meum.

PHILED. Et ego Voluptati Reginae me dabo.

ACHAR. Nec in me mora erit, quin Reginae ser-
viam.

PARIN. Ego me tibi Regina servulum offero.

VOL. Frugi estis & Regno meo percommodi.

Haud

Illiberales vos praebetis, & lubens
Vobis bene faxim. Jam nunc hoc unum restat,
Ut exhibeatis vos fideles, strenuos,
Et constantes meis in castris milites,
Comestando, potando, scortando, dies,
Noctesque luxuriando, ludendo, bonas,
Quas dicunt illi, artes, cum Praeceptoribus
Spernendo, ac prosequendo Virtutem odio,
Nil non tentando, quod bonum reddat animum,
Vultumque hilarem faciat. Curis nil sit loci.

Horum Praeceptorum sit aemulatio

Inter vos. Et te aliis praeficio Principem

Agapete fili. Namque praestas corporis
Formam, & magnus fieri velle videris mihi in
Regno meo. Ad astra sic itur. Quod reliquum est
Praeceptorum, dabitur intus. Me sequamini.

PHILED. Habesne domi Veneres aliquas pulchel-
lulas?

VOL. Omnino mihi sunt Sirenes hic, Virgines,
Cunctarum, quotquot in orbe sunt, pulcherrimae.
Heus Sirenes, adeste, paucis vos volo.

LEUCOSIA. En adsumus! Voluptas o suavissima,
Quid exequi jubes? faciemus illico.

VOL.

VOL. Blando excipite hos adolescentes vestro sinu.
Ut singuli gaudia capiant. LEUC. Salvere vos
Jubemus plurimum suavissima corcula.

Si placeat vobis, dabimus basia & oscula.

AGAP. Adventus vester nunc gratissimo accidit
Nobis hic singulis. Accedite jam propè,
Ut vestris amplexibus uti liceat diu.

PARTH. Ego Parthenope pulchrum hunc Juvenem
prendam mihi. *(a)*

Salve suave meum cor, mi porrige labium!

LIGEA. Ego verò lateri hujus *b)* me mox ad-
juxero,

Adolescentis suavissimi Salve decus
Meum, columba mea, suaviolum hoc accipe.

LEUC. Salvum hic adesse tertium *c)* adolescentu-
lum

Hunc bellulum, mihi est nunc summum gaudium.

Hinc osculo blando excipere eum me juvat.

Salve mi grata gemmula pretiosaqve.

Te noster excipiat intrò blandus sinus.

VOL. Cedamus hoc loco Sirenes in domum

Nostram, quò Juvenes deliciis explerier

Possint. PARIN. Quocunq; volueris nos ducere,

Seqvemur dominam nostram semper singuli.

AGAP. Prius choreis expleamus corpora

Saltationibusqve perblandissimis,

Dominâ volente nostrâ. Sic jucundior

Confessus erit post & confabulatio.

VOL. Si libeat vobis id, licet. Consentio.

CHO-

a) Agapetum. b) Parinum. c) Philedonius.

CHORÆ instituuntur.

VOL. Choreis animo expleto, jam seqvami
 Me, Juvenes ô suavissimi, ad convivium
 Opiparum, quo solent Sirenes blandulæ
 Suis præbere cunctis amatoribus.

AGAP. Fiat. Seqvamar Dominam & Sirenes cito
 Gressu, capiamusqve paratas delicias.

ACTUS III. SCENA III.

*Didascalus, Niphalius, Cosmius, Cletus,
 Aspondus.*

DIDASCALUS.

ADeste vos robusti adolescentes quatuor,
 Exploratum ite de Agapeto, Philedono,
 Parino & Acharisto jam, per angulos
 Omnes urbis, si qua latitent lenonis in
 Domo, nebulones pessimi, qui absunt Scholâ
 Modò. Nil prætermittite, quærite impigrè
 Ut in ordinem redigantur, & dignam suâ
 Improbitate accipiant mercedem pessimi.

NIPH. Quantum in nobis, Magister, fiet sedulò.

Quæremus & nihil prætermitemus, ut
 Inventos & prehensos pertrahamus huc.

COSM. In me nihil quidem desiderabitur.

CLET. Hos illi non effugient ungues, vah quibus
 Illos tractabo modis, quomodo tenebo eos.

ACTUS

ACTUS III. SCENA IV.

*Agapetus, Parinus, Philedonus,
Acharistus.*

AGAP.

Libetnè decertare saltu? PAR. Ludus is
Non convenit pransis. AG. Quamobrem?
PAR. Ventris quia
Saburra gravat corpus. AG. Hui fanè, haud ad
modum.

PAR. Quod igitur saliendi genus vobis placet?
AG. Locustarum à saltu auspicemur, tibia
Utraq; , sed pedibus junctis. Longissimè
Qui promovet, feret coronam. Hujus ubi erit
Satietas, aliud atq; aliud inchoabimus
Genus. PHIL. Eqvidem nullum recusabo genus,
Nisi quod cum periculo fit corporis.

Nolim quidem mihi cum chirurgis esse rem.
ACHAR. Quid autem, si unicâ certemus tiblâ?
AG. Ad omnia sum paratus. PHIL. Valeat ille nunc
Ludus, qui est Empusæ. PAR. Metam designa, eho!
AG. Paratus sum. PHIL. Verùm quod erit victoriæ
Præmium? AG. Abundè magnum victori est gloria
Præmium. PAR. Ego victo potius dandam esse
inquo

Mercedem, gratiâ solatii. AG. Sit hoc
Idcirco præmium victo, ut lappâ benè
Coronatus in urbem redeat. PAR. Non hoc qui
dem

Recusarim, si tu præcedas, tibiâ canens

Dul-

Dulcis. Sed videamus jam, quid possis Thrafo.
Præcede, nos nihil concedemus tibi.

AG. Quid illa placet meta? PAR. Illam facile vicerò.

AG. Eho victor egregie! PHIL. Illius verò vicem
Ego ulciscar. AG. Bona verba, oro ne feceris,
Mi vir. PHIL. Num irrides Princeps? AG. Ridicu-
lum caput,

Quod si verò non sis ridiculus. ACHAR. Ego quoq;
Experiar, quid possim. Satin' videtur hoc?

AG. Nondum metam attigisti. Verùm sufficit
Saltasse jam, si placet, eamus ut sitim

Restingvamus parumper, contractam modò
Excertamine. Redeamus ad puellulas,
Numero nobis respondentes, undè huc sumus
Progressi deambulatum. Ibi potabimus,
Amabimus, & saltabimus. Sunt virgines

Equidem bonæ, ferunt libenter amorem PHIL. Age
Ergò, quid cessamus? Hilarem hunc nobis diem
Sumamus, PAR. Sed quid fiet, si Magister hæc
Resciscat? Vereor certè ne hæc Comœdia in
Tragœdiam exeat, & vertatur gaudium hoc
In planctum. ACH. Et ego, mi Parine, eadem cogito.

AG. Damâ & lepore timidiore estis, viri
Sitis. Jam hæc ætas nostra liberam magis,
Quàm aliorum, qui elementa primùm discere
Incipiunt, vitam postulat. PHIL. Tanti quidem
Non facio Præceptorem. Ausit me tangere
Vel digito! Hunc ego ei, ecce! pugionem in vis-
cera

Contorfero. Conspirate mecum, si placet,
Et date fidem, vos ut aheneos muros stare

D

Velle

Velle pariter mecum, ut si quis fortè ingruat
 In me, in vos impetum fieri putetis. &
 Si quis vos vel digito attigerit, injuria
 Mea fit, & me læsum putem, hocq̄ve vindicem
 Manu hac. AG. Placet conditio. Juram⁹ fidem,
 Nunquid? PAR. Quando ita plācet, fiat.
 ACHAR. Pueri haud sumus.

ACTUS III. SCENA. V.

DIDASCALUS.

VErè dictum proverbio: *Vicinus est
 Qvi claudo, claudicare discit. Sic ovis
 Vel una morbida, totum ovile male inficit.*
 Qvis non novit quantum mali secum trahat
 Mala societas? *Corrumptuut mores candidos
 Colloquia prava, inquit Poeta. a) Unde Seneca:
 Convictor delicatus, paulatim quidem
 Enervat ac mollit. Malignus socius &
 Quantumvis candido atq̄ simplici, suam
 Rubiginem affricat. Necessè est oderis,
 Aut imiteris. Idem: Unum exemplum malum, mali
 Multum facit. Quæ experior omnia in meis
 Discipulis, qvi unà hærent in aliquo geneo, à
 Philedono seducti, neqvam pessimo.
 Qvamvis quoq̄; Agapet⁹ corruptus erat, prius
 Qvam disciplnæ commendaretur meæ.
 Magni ingenii puer est, sed *Educatio*
 Corruptit indolem bonam. Jam grandis est,
 Igitur cogi non vult, nec habere tamen potest
 Suæ vitæ modum ipse. Miserrimi sumus*

a) Menander. 1. Cor. XVI. 33.

Nos Pædonomi, qui in pistrino literario
Sudamus, atq; parvam inimus gratiam.

ACTUS III. SCENA VI.

Niphalius, Aspondus, Cosmius,

Cletus.

NIPHAL.

Ubi illos quæremus, ubi inueniemus, bone
Asponde, quid in commure quæso consulis?

ASP. Ego quidem nescio, nemo nobis obviam

Fit hic, qui diceret se comperisse quid

De illis. Habitant hic quædam lenæ scilicet

Anus, communes corruptelæ juvenum. Age

Si quis fortè unam illarum adeat, quid hoc placet?

NIPH. Num notus es illis aniculis tu forsitan?

ASP. Novi unam & alteram, sed non hoc admodum.

NIPH. Non hoc de nihilo est, bone vir, quid novisti

Fortassè obsequium præstiterunt & tibi? (eas,

ASP. Quod obsequium dicis? Properat en Cosmius

Ad nos rectà, (vides ne?) cursu concito,

Cum Cleto, fortè nunciaturi huc, ubi

Sint. Procedamus illis obviam rogo.

COSM. Cletus & ego exploravimus ubi sint, boni

Illi viri. Jam nunc illos videbitis.

CLET. Prodibunt insani nimirum & ebrii.

COSM. Hic præstolabimur exeuntes, si placet.

NIPH. At quis cum furiosis illis & ebriis

Ausit manus conferere? *Ebrietas fortis est.*

ASP. *Addit animum Ebrietas quidem, atq; cornua*

Sunit, sed temerè agunt ut plurimum ebrii.

Nos sobrii sumus, agamus ergò fortiter.

CLET. Ne abjiciatis animos, conjunctis viribus

Faciemus impetum. Fideliter stete.
Nunc ecce prodeunt magnis clamoribus.
ASPOND. Tacete, in istoc angulo latitabimus.

ACTUS III. SCENA VII.

*Agapetus, Parinus, Philedonus,
Acharistus.*

AGAP.

Nunc instant Bacchanalia. Bacchatum ibim⁹.
In hunc mihi usum hæc est parata larva jam,

PAR. Certè Parine te curasti molliter,
Lautèqve munus administraisti tamen.

PHIL. Proh, comessatores sumus percommodi.

AG. Larvati cursitabimus viciatim. Io,
Dein ad amicas redibimus rectà. Quid hoc?

PAR. Ego interea aliquò abibo, mi vir, in angulum,
Atq; edormiscam hoc villi, finite, sic agam.

AG. Num te sic abstrahes nostro à consortio?
Proh, minimè gentium. Nobis communia

Bona simul erunt & mala. Scis quia stipulatus es?

PAR. Ero non postremus in infania. Sonos
Amici jungite clamantes: Compania

Vivat, vivat, vivat nostra hic Compania!

ACHAR. Io Compania! AG. Proveniant me-
dii mihi

Sic sæpè dies. ACHAR. Ho, ho, ho, Compania,

AGAP. Non possum, quin festiv à cantunculâ
Festum nobis lætumqve hunc prosequar diem.

ACH. Occupet extremum scabies. AG. Vos canite
simul

Diversis vocibus, nullus sit reliquus

Tri-

Tristitiæ locus apud vos. PHIL. Pœan. Io.

CHORUS.

Runda, runda, runda, runda, dinellula.

Runda, runda, runda, runda, dinellula.

Nunc triumphantum simul ora, voces

Personent, dulces focii, sonoris

Vocibus clamor feriat polares

Molliter axes.

Absithin comnis metus atque curæ,

In locum cedant alea & choreæ.

Et sales centum, meretrixq; bella

Poculaq; alta.

Sic Voluptatis furiosa vivunt

Castra, sic regnat bona, Diis creata,

Pulterior stellis similisque foli

Nostra Voluptas!

ACTUS III. SCENA VIII.

Aspondus, Cletus, Cosmius, Niphælius, A-

gapetus, Parinus, Philedonus,

Acharistus.

ASP.

DEdite vos ergo turbatores pessimi,

Ut Præceptoribus per nos sistamini.

CL. Hunc *a)* ego mihi capiã, vos alios prendite.

AG. Tu perfide me capias? Mori quidem velim

Lubentius, tuis capi quàm manibus. Ah

Nemo nostrum fugam det, fratres optimi.

Præsenti fitis animo & state fortiter.

Hos facilè profligamus in fugam, decet

Nos hic virilitatis exemplum edere. *(b)*

a) Agapetum. b) Alapam infligit.

ASP.

ASP. Et vos accedite, accepi partem meam.

AG. Si tantum vobis animi est, nunc accedite.

PAR. Venite, & si lubet, vel digito adserite nos.

PHIL. Heus vos voco! Venite, quæso, capite nos.

ACHAR. Heus tu, veni, si honestus es commilito.

AG. Si non veneritis, nos faciemus impetum,

Lacessiti, in vos per præceptis, non sine malo

Vestro, ut aliis exemplum sitis omnibus.

COSM. Dedite vos ultrò, fortè condonaverit

Noxam vobis, Præceptor, hanc absentia.

AG. Non persuadebis istuc, si tibi Tullii

Vis affluat eloquentia, tu proditor.

ASP. Quid est, quod cessamus in illos facere impetum?

AG. Simus primi ergò fratres, fortiter agite.

Nauci sunt & nihili homines ac dupondii.

Vel flatu facilè hos in fugam convertero. *a)*

ASP. Væ misero mihi. Non certè durare hic queo.

Si sic vultis. COSM. Parce meo capiti furcifer.

NIPH. O facinus indignum! Parce mihi. Hei miseriam.

CLBT. Regnumnè Agapete possides? Injuria est.

COSM. Quingentos infregisti colaphos jam ferè.

Iniquior nunquam visa est certatio.

Sunt verberando illi, nos vapulando, age,

Utrinque defessi. Os ego semper præbui.

AG. Heus ite nunc jam, fugite. Nam si pergitis

Esse molesti, geminabimus vobis malum.

NIPH. Non certè cupimus. Hoc vobis prædixeram.

AG. Sic vos excipiam. Eho, redite, si lubet,

Redite. Egregiam verò laudem atque spolia

a) Alapam infligit.

Re-

Refertis ampla, a) Sed superest, quod vos velim.
 Quam strenuè currunt, eqvo vix assequi
 Possis. PAR. Ego non ausim repetere nunc Scholas.
 PHIL. Nec ego, ita me Deus amet, audeo. ACH.

Satanas

Revertatur, non ego. PHIL. Quid ergò fiet hic?
 Quid faciemus, dic? AG. Militatum fugiam ego
 Aliquò, & vos unà, si placet, quandò domi
 Nobis tutus non est locus, nec in Scholis,
 Commutemus togatas has in militarem
 Habitum vestes, aat vendamus. PHIL. Ratio

placet.

Sed nondum conscribuntur, ut audio, milites,
 Quid interea fiet? AG. Prædabimur interim
 Id nunc militibus scilicet haud vitio datur,
 Sed gloriosum est. ACH. Si liceat impunè, non
 Autem cum capitis periculo. Haud velim mihi
 Certè cum carnifice post aut tortoribus,
 Rem esse. PAR. Et ea mea est sententia. Si cedat

malè,

De vita agitur planè, nunc modò de podice.
 AG. Infanis, nihil est, periculi, fingis tibi
 Metum. Quid si cœlum ruat? Splendorem ha-

bet,

Proh, vita militaris. Pulchrum est, rem simul
 Et gloriam, armis belli sibi parare. Me
 Juvat gladiari fulminareqve ensibus,
 Et hastas vibrare. Equidem res est splendida,
 Ab omnibus metui & suspici pariter.
 Familiarem esse regibus. Num singulis
 Horis ferè videtis pompas militum,

a) Virgilius.

D 4

Et

Et sesquipedalia auditis resonarier
 Verba? His conferte studia contemptissima
 Hoc tempore. Præcedit miles persplendidè,
 Sequitur ex intervallo post, togatus &
 Simplex, externo sine splendore clericus.
 Summa: Mihi non placent *Musarum* literæ,
Humi quæ nunc verè serpunt. Arridet aut
 Magis magnificentia Martis. Vos pedibus in
 Meam sententiam ite. Nunquam vos quidem
 Ejus consilii pœnitudo capiet. En!
 Ego vobis Dux ero & autor, non cedere
 Poterit malè. Magnas mihi agetis post gratias,
 Qui fuerim impulsor vobis. Sperate optimè
 Et rebus vos servate secundis fortiter.
 ACH. Persvaseris mihi, in tuam sententiam
 Ut eam. Dii benè vertant novum vitæ genus.
 Quod successit multis, & mihi successerit,
 Si fors fortuna, quam invoco, mihi bona erit.
 AG. Erit, ne dubita. In eadem & tu sententia es?
 PAR. Quamquam grave erit valdè hoc audire pa-
 Tamen quid faciam, desperatis omnibus (rentibus)
 Rebus. Quid tandem & hoc tentare nocuerit,
 Si fuero redux, fortè olim & hæc meminisse me
 Juvabit. Age comitabor in mortem ad eò vos,
 PHIL. Et ego in omnes casus paratus sum sequi.
 AG. Redeamus ad Veneres, ibi mutabimus
 Vestes, atque ad iter nos statim parabimus.
 Si quid opus est porrò, intus consultabimus.

Sequitur.

Interſcœnium III. Germanicum.

ACT.

ACTUS IV. SCENA I.

*Agapetus, Philedonus, Parinus,
Acharistus.*

A GAP. Hos ego, malum, non potui vendere
codices,

Valeant, phi, phi, otiosa nugamenta, phi.

Pudet me tantum in his contrivisse otii.

PHIL. Et hos mihi reliquos ex omnibus libros
Projiciam, qui tot mihi peperere verbera.

PAR. Atramentarium hoc unum mihi superest,
Id non minus, quam libros hos damnvero,
Et abjiciam. Valeat calamus pauperculus.

Hic calamus *(a)* melior est, & longe dignior.

ACH. Hos pedibus conculcavero meis libros.
Sic me magnificis vestibus incedere juvat.

AG. Viros vos judico, in novo ordine strenui
Sitis, facitote, nemo cedat alteri

Improbitate atque malitia. Cristas decet

Attolere vos nunc & sesquipedalia loqui,

Imò fundere potius verba incessus quoque.

Sit talis, qui omnes homines vos contemnere

Satis arguat, qui pecora prae vobis quidem

Putet is esse, aut umbras hominum, ceterum

Vos solos homines veros. Hæc si præcepta

Observaveritis, strenuos in milites

Evadetis, Primus qui occurrerit hodie

Nobis, in eo exemplum statuemus strenui,

Quam simus tirones. Utinam modò obviam

D 5

Bellè

a) Hastam designat.

ACT.

Ne nobis mercatores aliquot offerant,
 Bellè nummati, cum illis de marsupio
 Nobis certamen esset. PAR. Si tamen pares
 Illis & numero & viribus essemus AG. Erimus.
Audaces fortuna juvat. Adjungemus &
 Alios nobis iter huc facientes milites,
 Stipendio quos conducam non arduo.
Similes similibus facile congregantur. In
 Parcemia est. *similis querit similem sibi.*
 Fortes estote in bello. Ego hostem opperiar hic
 Ex insidiis. At tu istuc in arbutulum.
 PHIL. Huc concesseris Parine tu,
 Sed Achariste tu illic lateas commodè.

ACTUS IV. SCENA. II.

Asmenus, Didascalus.

ASMENUS.

UBi, malum, est Agapetus? quem jam triduo
 Meis non vidi oculis. Equidem custos bonus
 Juventutis videris esse. Quid mihi
 Respondes? Dic si vis. Num mutus factus es?
 DID. Quid de Agapeto dicam, quem neq; quic-
 quam pudet,
 Neq; metuit quemquam, neq; legem se putat
 Tenere ullam. *Una, quod fertur, ovis morbida*
Totum corrumpit ovile. Si diutius
 Scholasticorum in grege fuisset, optimos
 Quosq; infecisset animos juvenum, pessimis
 Exemplis, & totius Gymnasii lues
 Fuisset atq; pestis. Quare abesse eum

Gaudeo

Gaudeo magis, quàm doleo, ita me benè amet
Deus.

ASM. Gaudes? Nunc quid dicam nescio, pueritiæ
Corruptela. Ah sanumne credis esse te?

DID. Credo. Quidni etenim gaudeam, Episcopo,
pessimum

Excessisse nebulonem ex grege Scholarium
Meorum, qui jam tres feduxerit primitus
Magnæ spei juvenes, bonorum filios.

Certè optimum quenq; infecturus post, nisi
Facta esset discessio. Nescis qui vir fiet.

Ecce fero ad te flagitia magna, ingentia,
Capitalia. Miseram quosdam dudum, qui eum,
Cum illis tribus, quos socios junxerat sibi,
Ad nos adducerent ex ganeo suo.

Ut corrigerentur: Eos invasit carnifex,
Aperto Marte, quantum potuit rapuit &
Contudit ac ad mortem multavit malè.

ASM. Tuâ culpâ id factum est, tu illum corrumpier
Sivisti. Tu inquam, Tu excusari non potes.

DID. Juris sententia est celebris: Qui dedit.
Occasionem damni, damnum ipsum dedit,
Dedisse vel certè videbitur. Bonus

Ille adolescens noster, qui luxu perditus
Est, quod amavit, quod potavit, nemo magis
Accusandus venit sanè, quàm Domine tu.

Qui his rebus sumptus suggerebas, & nimis
Indulgebas, præter bonum ac æquum. ASM. Jam,
eho,

Demùm isthæc nata juris est oratio.

Nimis fuisti ineptus ipse, & filium

Apo-

Apostolò corrupisti neglientiâ.

Tu videris, ut respondeas Apostlo.

DID. Quid autem plus, quàm feci, facere debui?

ASM. Tui quidem me pudet & piget. An non prius
Olfecisses, vel totis quatuor mensibus,
Quàm militatum profugeret illè nebulo.

DID. Quidni tu olfecisti, mi Episcopo, cui fuit
Domesticus ille. Certè olfacere te prius
Oportuit, si indò curæ tibi fuit.

ASM. Curæ fuit, ais? futilis es, & somnium.
Nolo prolixius sermones cadere
Tecum. Tu videris posterius. Tibi cave.

ACTUS IV. SCENA III.

*Agapetus, Lista, Anemeros, Anosius,
Philargyrus.*

AGAP.

QVos hic mihi homines conspicio, sunt quatuor?

Ah esse videntur milites. Id indicat
Habitus & versicolores vestes. Num alloquar?
Benè sunt armati. Conveniam. Quid milites
Hic vobis est negotii? Quo curritis?

An Dominum quæritis? Frugi esse videmini.

LIS. Omninò Dominum quærimus. Istac gratiâ
Omnes transcurrimus terras. Precamur ut
Viaticum Domine nobis impertias.

ANEM. Te Capitaneæ rogamus milites tui,
Ne nos sine munere dimittas. Quodsi tibi

Esse

Esse ex usu poterimus, & inservire, nos
 Promptissimos habebis omni tempore.
 AG. Si placet apud me commorari aliquot dies
 Certo stipendio, me Dominum habebitis.
 ANOS. Rectè dicis. Nihil esset optabilius hoc.
 PHIL. Lubentes nostram operam dicamus tibi.
 Habebis nos ad omnia paratissimos.
 AG. Benè dicis. Dabo vobis stipendium
 Vulgare, quod militibus ad mensem dari
 Solet. Si vultis, jurate fidem omnes mihi.
 LISTA Accipimus conditionem & juramus, tibi
 Nos fore fideles & vigiles in omnibus.
 AG. Vos milites accipio stipendiarios.
 Non malè habent Principia. Expectem⁹ hospites.
 Suam quisq; occupet stationem fortiter.
 Fortasse mox aderunt, qui dent, ut ad hyemem
 Vivamus liberaliter atq; divites.

ACTUS IV. SCENA IV.

*Emporus, Palincapelus, Echmalotus,
 Philedonus, Parinus, Acharistus, Lista,
 Anemerus, Anosius, Philargyrus.*

EMP.

AH nescio, quid mali mihi mens præfagitat
 In his densissimis sylvis. Circumspice.

PAL. In tergo quoq; oculos decet

Habere. PAL. Stant mihi præ timore comæ, tremo
 Totus, vastissimâ hac in solitudine.

ECHM. Stultè certè fecimus, quod hanc soli viam
 Sumus

Sumus ingressi absq; comitatu, idq; maxime,
Infamis cum sit hic latrociniis locus.

EMP. Parata fac arma habeas, armatos vide
Huc ad nos affectare cursus concitos.

PAL. Armatos dicis? Non video. Num somnias?

ECHM. Quid? quid? ubi sunt? Deus meliora! O
bone Deus, ô!

AGAP. Unde? & quò huc pergitis nebulones pes-
fimi?

Rationem reddite illicò, si vobis salus
Vestra est cordi, aut ipsa hac hora moriemini.

EMP. Vobiscum quid nobis negotii Viri
Boni, nostrum huc iter confecimus, bono
Honestoq; instituto & Regiâ viâ

Cupientes eqvidem lædere neminem, quod &
A vobis speramus. Quare dimittite
Nos illæfos, naturæ & jure Gentium.

AG. Egonè vos dimittam pessimos viros,
Locorum hominumq; proditores?

Qui jura quoq;, si Diis placet, citare pro
Se audent. Scelestum hominum genus atq; per-
ditum.

PAL. O capitaneæ ter maxime, bone Juvenis &
Heros, obsecramus te, ut nobis parcere
Velis, haud venimus proditionis gratiâ, at
Negotiationis exiguæ, Ephesi
Quæ nobis est cum honestis mercatoribus.

AG. Mercatores mihi nominas, hominum genus,
Quos unquam terra produxit, vanissimum.
Fex hominum, fons stultitiæ, sentina omnium
Malcrum. Esse, en! tales vos profite mini.

Ergò

Ergò è medio tollendi meritò protinùs.

ECHM. Bone Princeps, mitte nos, cives Philippici
Sumus, parum aut nihil habemus pecuniæ.

AG. Illi ipsi estis, quos quærebamus. Exue
Vestes, & numera citò nobis pecuniam.

ECHM. Pauper ego sum civis: Quid dabo? nihil
habeo.

Dimitte me, bone Princeps, pauperem virum.

PHIL. Non dimitte hunc. Pecuniam aut vitã dabis.

EMP. Si quid habemus, nostrum est. Vobis cur da-
bimus hoc,

Nostris quod constitit multis sudoribus
Laboribusq; Nunquam hodie faciam. Mori
Malò, quàm carere turpiter bonis meis.

PAL. Nec ego dabo me. Extrema potius experiar
mala.

PAR. Magna horum confidentia est. An non dabis?

ECH. Perii, interii, occidi, quò nunc fugiam miser?

Quid faciam? mortẽ ante oculos conspicio meos.

Te rogo Princeps, en! arma projicio, tibi

En! supplices teneo manus. Lubens tibi

Memet dedo. Ah, ah, parce Princeps maxim.

Peram quoq; tibi, auro gravem, si placet, habet.

Nihil præter vitam reservare cupio

Mihi, ô Princeps. Quid rapitis? quid tunditis?

AG. Vos hunc exuite, a) spoliare atque perdit.

Egomet illum aggrediar veteratorem. b) Dabis.

An non? uno dic verbo jam nunc, ut sciam.

EMP. Quid dabit is, qui nihil habet? Quidnam
poscitis?

AG. Vis clarius dicam? Arma pone primitùs,

a) *Eclausalotum.* b) *Emphorum.*

Dein?

Dein' peram, vestes quoque insuper exue.

EMP. Duram vocem audio. Quid vobis feci mali?

AG. Philedone & Parine rapite tertium. *a)*

Verum tu Achariste, mihi adstes alacriter.

ECHM. Vitam mihi concede Princeps optime.

Ah Princeps, Princeps, subveni misero mihi,

Occidor à tuis. Quid tantillum juvat

Effundere sanguinis? Quod mors prodest mea?

EMP. Ah miserum me, tuas qui deveni in manus.

Vis hæc quidem digna est puniri legibus.

AG. Iterum tu leges atque jura nominas?

Ut te Dii omnes malè perdant. Etiam me putas

Leges & jura formidare? Jam scies,

Qui vir siem, quam nihili leges Cæsaris

Et gentium omnium faciam. *b)* Procumbit ut

Bos magnus humi. Ecce quomodo prosternitur!

En! quomodo rictum diducit? quomodo

Ostorquet? Insuper quoque hoc tibi cape. *c)*

PAL. O dilectè Pater, ô dilectâ mea Soror

Nunquam memet vivum posthac videbitis.

Manibus Dei meum commendo spiritum.

ECH. Tunc voco, te quæso Princeps clementissime,

Sat vulnè abis sum, vitam concedite.

AG. Huius viam prorogate aliquantisper modò,

Jam manibus ad arborem post terga arctissime

Revinitis. Et ne clamet frenum faucibus

Injite, donec hunc, qui mihi sese opposuit,

Spoliatum jam jam, vitâ quoque exuam. *d)*

PAL. O cælum, ô terra, ô secula, ô mores! Deus

Meus

a) Palincap. b) Bombardæ explosio. c) Ferit caput gladio.

d) Bombardæ explosio.

Meus! Deus meus, me miserum respice.

PAL. Quid clamas furcifer? quid invocas Deum?

Is te jam curat scilicet, quasi nihil

Habeat aliud quod curet. Ergo liberet

Te jam nunc ex manibus nostris, si illi places.

LIST. Utrumque brachium post terga porrige.

Extende fortius, quid scapulas contrahis?

ANOS. Caput quoque erige, ut hanc torquem collo tuo

Circundem, & istud frenum injiciam faucibus.

ECH. Ah, ah me terque, quaterque infelicissimum,

O dulcis Pater, o mater mea charissima.

PAL. O Pater immensae misericordiae Deus,

Per filium tuum dilectum te invoco,

Fer opem misero, serva me perditum obsecro,

AG. Clama altius, forsan dormit Deus tuus,

Aut est in diversorio, ut te exaudiat.

Jam ego meis te interficiam manibus, nisi

Te liberet Deus ille tuus. Sed longius

Abesse videtur, opemque differt. Fortiter

Potius morere, praesenti sis animo, atque nunc

Extende jugulum huic gladio. Quid tardus es?

PAL. Quando mortem evadere nequaquam queo
miser,

Nec ullus apud vos misericordiae locus

Est reliquus, heu latrones perditissimos!

Fiat Dei voluntas in me, quando sic

Ejus placuit oculis, non formido pati

Mortem, Dei cum filius mortem quoque

Pro me misero subiverit indignam crucis.

Tuis manibus Fili Dei vivi meum

E

Com-

Commendo spiritum, redemisti Deus
 Verax me miserum. Spiritus tuus bonus *a)*
 Deducet me in terram rectam, propter tuam
 Mortem sanctissimam & promissam gratiam.
 Vestrum vobis etiam non deerit primum.
 Facite jam quodcumque est in animo, adsum, pati
 Paratus omnia, nec mortem diram horreo,
 Qui vitam longè meliorem mihi scio,
 Apud Christum Dei dilectum filium
 Paratam, ad quam mors ista præbet transitum.
 Non te Tyranne crudelissime timeo.
 Corpus quidem potes, at non animam, occidere.
 Cupio ergò dissolvi & cum Christo vivere.
 AGAP. Mori volenti mors deesse non potest.
 Vive igitur cum Christo tuo, & sic transeas. *b)*
 Cadavera mortua in foveam reponite.
 Tu *c)* verò spolia appone huc protinus omnia.
 Est commoda satis præda nostris ungvibus.
 Tu *d)* vestem illam undulatam cape, tu tunicam,
 Tua *e)* sit pars illa. Quod reliquum, mea portio est.
 Pecuniarum satis est magna copia,
 Quis numerare cupiat? Acervatim dividam,
 Tuus sit acervus iste, tuus sit ille, sit
 Tuus hic. Hoc esto militum stipendium.
 Quod vero superest, hoc totum mihi vendico,
 Qui vobis nempe Ducatum præsto, viribus
 Qui præstantissimus, vestrum quoque omnium
 Dignissimus sum. Sic ad astra itur viri,
 Nunquid mentitus sum, aut fefelli vos, mei?
 Nunquid compendiosa est absque laboribus

a) Ps. CXLII. 10 *b.)* Bombardæ explosio.

c) Parinus. *d)* Acharistus. *e)* Philedonus.

Via hæc ad divitias? Hoc demum vivere est.
 Hoc est imperio potiri. Jam præpotens
 Monarcha ero properdiem, & vel Cræsi mihi
 Divitias congregavero. Lætum hunc diem
 Sumemus jam, genio indulgentes affatim.
 Non deerit quicquam gulæ nostræ aut luxui.
 ANOS. Sed quid Princeps, fieri vis de hoc homi-
 ne, citò

Expediemus, ne dicat, quis eum læserit.

AG. Rerum successus me obliviosum fecerat,
 Abi, ac ori eximas linguæ repagulum,

Stet tamen ad arborem haud solutus vinculis,

Ut cum, quæ sunt necesse dici, dixerit,

Globorum ictu aut sagittis configatur &

Pereat. Morieris, si quid vis, mox dicito.

ECHM. Te ego oro, te obsecro, mi Princeps optime.

Ut me vitâ dones, quæ nunc planè est tua.

Aurum quod accepisti purum, sit tuum.

Quingentos insuper me promitto tibi,

Bona atq; infallibili, certâ & tutâ fide,

Soluturum aureos, duos intra diès,

Nec me cuiquam hominum revelaturum ea,

Quæ contigerunt mihi, sic me salvet Deus.

AG. Quàm pulchrè novit verba dare trifurcifer,

Ut scilicet me cum meis tu perderes,

Meq; & meos socios extemplò proderes.

ECHM. Absit. Non prodam vos, Christus sic me
 adjuvet,

Cujus ego nolim dejerare gratiam

Et regnum, si moriendum sit mihi millies.

AG. Quid Christi nomen occinis mihi, quis est?

E 2

ECHM.

ECHM. Est Eilius Dei unicus, Deus & homo.

Qui nos suo redemit in cruce sanguine.

AG. Autore quo, fidem illam, dic, edoctus es?

ECHM. Joanne autore, maximo Dei viro.

Qui Jesu discipulus fuit charissimus,

Et Ephesi publice verbum Christi docet,

Cujus ego me quoque auditorem profiteor.

AG. Joannem nosti Apostolum? Vah traditor,

Nunc scio, quod speculator sis atque proditor.

Occidite protinus hominem, nec sit mora.

ECHM. Quid morte dignum dixi aut feci miser ego?

O Princeps, parce propter supremum Deum.

Non proditor ego sum, quod si compereritis,

Exquisitis me afficite tormentis dein?

AG. Credendumne putas esse huic Philedone?

PHIL. Bonus esse videtur alioqui. Parcendum erit.

PAR. Detineatur captus, donec numeraverit,

Quod promisit. Quis sit, patefcet tempore.

ACH. Placet ut vivat, donec quingentos numeraverit.

AG. Rogaverunt hi me plurimum, ut tibi parcerem,

Parcam itaque, modo promittas solvere velle te.

Absque malis artibus, quingentos aureos,

Intra biduum. Das sine dolo malo fidem?

ECHM. Do tibi tuisque fidem, Princeps, firmissimam,

Atque insuper habeo gratiam quam maximam.

AG. At captivus nobis manebis interim.

ECH. Manebo Princeps, atque hinc mittam nuncium.

PHIL. Reviviscit jam nunc, Princeps, quem occideras.

Fugamque adornat è lacuna mortuus.

AGAP. Tenete, tenete, capite, mihiqve adducite.

Quid hoc? Reviviscunt nobis & mortui?

Temortuum credideram, bone vir, jam excitas
Nobis novos ludos. Jam morere denuò. a)

EMP. Ignoscat tibi Deus, orphanorum qvi Pater
Et viduarum iudex est, meum cui

Patrem commendo & matrem dilectissimam.

Christe tuas in manus jam trado Spiritum

Meum. Redemisti me Domine Deus meus

Pretioso sanguine, veritatis tu Deus.

Non moriar, sed in te vivam in vita altera.

Fac finem Domine, fac finem cruciatui,

In extremis ad sis tuo mihi spiritu,

Ne me diræ mortis perturbet atrocitas.

AG. Quid hominem excarnificando cruciatis diu?

Dum frustra certatis, dolore & ex suo

Voluptatem, nescio quam, vobis fingitis.

Sic ergò morere. b) En efflat animam protinus!

ACHAR. In ventos vita recessit, abiit spiritus.

PAR. Pro pendulum caput, labia sunt pallida,

PHIL. Nasus friget, & omnia mortem præferunt,

AG. Solvite nunc vincula, atqve vestris moribus

Eum sepelite. Veniet vobis statim

Jam lautior ferina & oppiparum magis

Fors ferculum. Incidet præda in casses meos,

(Nisi animus omninò fallit) petita, Fors

Fortuna sis bona, sis tuis propitia, sis

Clemens, æqua, & secunda tuis clientulis!

Seqvitur

Interfcenium IV. German.

E 3

ACTUS

AG a) Explosio Bombarda. b) Ferit caput gladio.

ACTUS V. SCENĀ I.

Fama & Virtus.

FAMA.

Quid agam? Evolabo? annon? Timeo, non
forfitan

Ausim prodire. At prodeundum omninò erit.

Non possum continere me domi amplius.

Sed vastum adeò horrendum ac ingens monstrum
velut,

In publicum prodire me subitò, haud metu

Vacat & non est tutum. Sic potius contraham

Vastum hoc corpus, & humi serpam. Sic meliq est.

Nec clarâ dicam voce, quæ scio, omnia,

Sed murmurabo potius & secreta ego

Aure susurros diverfos stridebo. Quid hoc?

Sum namqve consternatione aliquantulum

Nescio quâ, primo dejecta. Ideoque me offeram

Turbæ pusillam principio. Sed viribus

Dein confirmatis, quasi grandescam, & altius

Sensim attollar, adeò ut pedibus nitens solo,

Nubes vacuas æquare ac summo vertice

Sidera ferire videar. Quàm pusilla sum

Jam, quàm in gyrum me contraxi. Incipiam modo

Sufurris stridens, ambigua spargere

Ac disseminare voce in vulgus hæc nova:

Scholasticus Agapetus atqve complices

Sui latrocinantur atrocissimè

In montibus & occiderunt duos viros,

Et tertium miserè captivum detinent.

VIRT.

VIRT. Quid hoc monstri est, quod conspicio, vastum nimis,

Immane, ingens, cui tot pennæ sunt & leves

Plumæ, colores tot (res mira) tot oculi,

Nunquam conniventes vel nictantes, tot &

Solutæ lingvæ, tot etiam ora sonantia,

Tot arrectæ aures. Vah monstrum mirabile!

Accedo propius jam, ut quid sonet, audiam.

FAMA. Scholasticus Agapetus atque complices

Sui latrocinantur atrocissime

In montibus & occiderunt duos viros,

Ac tertium miserè captivum detinent.

Asmenus noster Episcopus & Didascalus.

VIRT. Quod hoc monstrum gannit, quæ nunciat nova?

Serpebat humi modo, sed nunc attollitur.

Ludebat murmure & susurris antea

Modicis, at nunc aliquantò profert clarius.

FAM. Scholasticus Agapetus atque complices

Sui, latrocinantur atrocissime

In montibus, & occiderunt duos viros,

Ac tertium miserè captivum detinent.

Asmenus noster Episcopus & Didascalus,

Sunt scelerum istorum conscii & fortè socii.

VIRT. Nunc memini. Hoc monstrum Fama doctis dicitur.

Res admodum pernitiōsa atque pestilens.

Tam ficti praviqve tenax est, quàm nuncia a)

Veri, sicut Didascalo atque Episcopo,

Certo scio, quòd gravem faciat injuriam.

FAM. Scholasticus Agapetus atque complices

a) Virgilius.

E 4

Sui

Sui, latrocinantur atrocissimè
 In montibus, & occiderunt duos viros,
 Et tertium miserè captivum detinent.
 Asmenus noster Episcopus & Didascalus,
 Sunt scelerum istorum conscii & fortè focii.
 Est quippè Agapetus hic filius Episcopi,
 Sed alii omnes, discipuli sunt Didascali.

VIRT. En quomodo se nunc erexit bestia,
 Et altâ voce exclamat, ne quis nesciat.
 Ufu firmatur video & impudentior
 Efficitur, fitque petulantior & alacrior.
 Hi sunt Juvenes illi, quos artibus suis
 Malis Voluptas perdidit. Sic, sic, solet.
 Prædixeram hoc futurum. Officium ego meum
 Feci cum Musis exhortando, quò mea
 Potius sequerentur castra, quam turpissimæ
 Voluptatis. Sed sic sunt adolescentium
 Hodie ingenia, à laboribus ad libidinem
 Propensa. Doleo ita miserè esse perditos.
 Manus carnificum non poterunt evadere.
 Miseret me illorum. Ah, ah, Voluptas, pestilens
 Esca malorum, ut perdis animas & corpora!
 Hæc id nunc divulgabit per totum oppidum,
 Perque Asiam omnem. O miseras animas deper-
 ditas!

A scendit ecce! nunc tectorum ad culmina,
 Magno stridore, ut ibi tanquam bubo sedeat
 Feralis sola, audiri queat ab omnibus,
 Et quæ fiunt ubique videre singula.

FAM. Scholasticus Agapetus atque complices

Sui
 a)

Sui, latrocinuntur atrocissimè
 In montibus, & occiderunt duos viros,
 Et tertium miserè captivum detinent.

Der Schüler Agapet und seine Kameraden
 Die rauben grausamlich u. thun ist grossen Schaden
 Auff dem Gebirge/da sie schon geschlagen todt
 Zwey Männer/und der Dritt der leidet grosse Noth.

ACTUS V. SCENA II.

S. Johannes & Asmenus.

S. JOH.

FAc ergò purè prædices Verbum Dei, *a)*
 Insta oportunè, importunè, argue, obsecra,
 Et increpa, in doctrina omni ac patientia,
 Labora & vigila, Evangelistæ fac opus,
 Ministerium tuum imple, & esto sobrius.
 Volo autem imprimis obsecrationibus
 Dari operam, orationes fieri maximè,
 Et actiones gratiarum pro omnibus *b)*
 Hominibus, & Regibus atq; Magistratibus,
 Quietam ut vitam agamus in pietate, nec
 Non castitate. Nam hoc bonum est corâ Deo,
 Nostro Salvatore. Omnes homines qui cupit
 Salvos fieri, & ad agnitionem simplicis
 Venire veritatis. Unus enim Deus,
 Et unus solus mediator hominum & Dei,
 Homo Christus Jesus, qui semet pro omnibus
 Dedit redemptionem. Namq; apparuit
 Salvatoris benignitas & humanitas

a) 2. Tim, IV, 2.

b) Tim. II, 1.

Dei nostri, non ex operibus legis aut
 Justitiæ, quam nos fecimus, sed pro sua
 Immensa misericordia, nos perditos
 Salvos fecit, nempe, lavacro vitæ novæ, *a)*
 In Spiritu Sancto, quem abundè effudit in
 Nos, per Jesum Christum Salvatorum omnium.
 Ut verè justificati gratiâ ipsius
 Hæredes simus, juxtâ spem firmissimam
 Vitæ æternæ. Sermo hic utiq; fidelis est.
 Et de his volo te confirmare, ut bonis
 Curent operibus præesse, qui credunt Deo.
 Hæc sunt utilia & bona hominibus coram Deo
 Et Christo Jesu, ejusq; electis Angelis.
 Obtestor te, ut sine præjudicio istæc, custodias.
 Sic, ne quid facias omninò, in partem alteram
 Declinando. *b)* Manus imponas citò nemini,
 Et ne peccatis alienis communices.
 Postremò nunc depositum, bone Episcopo,
 Repræsenta, quod tibi planè Christus & ego,
 Sicut scis, commendavimus, hac Ecclesiâ
 Teste, cui præes docendo Filium Dei.
 ASM. Quid illud est, ô Apostole Dei? Quid petis?
 Depositum illud, quod poscis, quale est, Pater?
 Hæreo planè. Depositum nullum scio.
 S. JOH. Juvenem illum cedò, repeto abs te fratris
 animam.
 ASM. Ah, ah, perii, quid respondebo Apostolo?
 Quid dicam? Ah ignosce. Juvenis ille est mortuus.
 S. JOH. An mortuus est? Dic quomodò defun-
 ctus est?

Vel

a) Tit, III, 5.*b)* 1. Tim. V, 21.

Vel morte quâ? Quid in lacrymas resolveris?

Quid imo producis pectore suspiria?

Mitte lacrymas gemitusq; & dic quid sit rei?

ASM. Ah mortuus est Deo. Nam evasit pessimum
Flagitiosissimumq; in nebulonem, ô Dei

Apostole, ignosce mihi referenti tibi hæc.

Postremò eò improbitatis jam progressus est,
Ut latrocinia exerceat crudeliter.

Deniq; nunc montem quendam, ne quid reticeã
Planè, cum multa latronum turba occupat.

S. JON. Benè actum eqvidem, pulchrè dedisti te,
bone

Episcopo, frugi es; Huic commendes scilicet,
Si quid rectè curatum velis. En te bonum
Fratris animæ custodem dereliquimus.

Sed jam mihi paretur eqvus & dux itineris.

ASM. Fiet jam nunc extemplò Domine Apostole.

Mitte iracundiam verò atq; ad te redi.

Meã haud culpã accidit, quod sic corruptus est.

Consortio malorum depravatus est.

S. JON. Inepta lenitas & facilitas prava, eum

Corrupit Episcopo. Vigilantiam tuam

Desidero. Annon olfecisses quidpiam

De vita, moribus & consortio ipsius,

Priusquam eò proterviã ac malorum erumperet?

Ut quisq; suum vult esse, ita est. Sed propera,

Cura, ut dixi, de eqvo, ac frugi socio viã.

ASM. Illicò, properò, ut effectum reddam, quod
cupis.

ACT.

ACTUS V. SCENA III.

S. Johannes.

DEformat Evangelium atq; doctrinam piam,
 Et scandala excitat, facitq; ut sentiant
 Homines levius de doctrina & docentibus,
 Mala familiæ administratio. Nam qvî Dei
 Ecclesiam reget, suæ qvî non benè *a)*
 Præest domui, & habet sceleratos liberos,
 Nec familiam potest regere? Hinc nomen Dei
 Sanctum afficitur contumeliâ & blasphemiâ *b)*
 Inter gentes. Quid autem faciam? Ab Episcopi
 Eum ob id removebo munere? Gravi crimîni est
 Obnoxius, qvod disciplinæ vinculis
 Solutis atqve habenis laxatis, bonum
 Juvenem corrumpi sivit. Verùm dogmate
 Tamen nullo pravo contaminatus est.
 Et fortè per omnia culpâ non periit suâ
 Juvenis ille, ut multos præstantes legimus
 Hinc inde viros & Doctores Ecclesiæ,
 Quorum flagitiosi fuerunt liberi.
 Ut Aaron, *c)* Samuel, *d)* quos tamen minime ob eâ
 Causam, suo ab officio removeri, conditor
 Rerum Deus voluit. Namqve dubio procul
 Aaron, Samuel, & similes maximi viri,
 Tam ad pietatem informarunt liberos suos,
 Qvàm ad honestatem, magnâ curâ, ac nihil tamen
 Profecere. Igitur culpa haud transferenda erit
 Semper in ipsos Parentes vel Magisterium,
 At in ipsos potius liberos, qvî non volunt

Benè

a) Tim. III. 5. *b)* Rom. II. 24. *c)* Lev. X. *d)* 1. Sam. VIII. 5.

Benè monentibus obtemperare, sed
 Qvadam ingenii malitiâ per præcepta ruunt
 In omne vitiorum genus, atqve nomina
 Flâgitiarum sexcenta, sicut dicitur
 Proverbio: *Herorum sunt noxæ filii.*
 Verùm tamen benè adhuc spero de filio
 Jam perduto, qvem puto posse recoqvi ad bonam
 Frugem, qvamvis rectum justitiæ tramitem
 Reliquerit, præceptorum indulgentiâ.
 Qvos acriter ob id increpandos judico.
 Sed eqvus adducitur, reditqve Episcopus.

ACTUS V. SCENA IV.

Asmenus, S. Johannes, Dulus.

ASM.

Curavi sicut jufferas Apostole.
 Adest eqvus, Dux & simul comes viæ,
 S. JOH. Nostin' viâ ad montem infamem latronib9?
 DUL. Novi quidem, qvamvis non tutum accedere
 Ante dies paucos perierunt ibi duo (est.
 Boni viri, mercatores ditissimi.
 Non est consilium, nos solos illuc iter
 Temerè facere. De vitæ agitur periculo.
 ASM. Nolim te Apostole in vitæ dispendium
 Venire. Perditissimos esse audio
 Latrones illos, fortè nec parcent tibi.
 S. JOH. Scriptum est: *Vestri capilli, nosti Episcope,*
Numerati sunt omnes. a) Unus in humum haud cadet.
Absq; voluntate Patris vestri. Si ergò Deus (b

Pro

a) *Matth. X. 30.* b) *Rom. VIII. 31.*

Pro nobis, quis contra nos? aut quis vim infuset?

ASM. Verissimum est illud quidem. Quando place
Igitur & sic omnino vis, Tu Apostolum
Dei comiteris strenue, & ad sis fortiter.

DUL. Faciam, quantum in me erit, virili pro mea
Etsi temerarium est, hoc nos iter aggredi.

Contra plures pugnavit ne Hercules quidem.

S. JOH. Mitte querimonias. Plures nobiscum erunt.

ASM. Si placet, & ipse te comitabor Apostole,
Vel plures adjungam tibi, ob periculum.

S. JOH. Nec te, nec plures cupio. Hic unus sufficit.

DUL. Hoc quomodo, Dei vir, dic intelligam?

S. JOH. Christus mihi cum sanctis aderit Angelis,
Et nos tuebitur potentia sua.

DUL. Nunc ergo montem fortiter aggredi lubet.

ACTUS V. SCENA V.

Asmenus.

UTinam bene cedat, nunc quod agit Apostolus!
Oportet certe ut plus, revelante inclyto
Sanctoq; Spiritu, prospiciat vir Dei,
In desperato illo & scelerato Juvene, quam
Ego. Sanè mea haud perit incuria,
Qui formandum Magistris illum sedulo
Commendam. Citius quidem domestica
Vitiis corrumpunt exempla, authoribus
Cum magnis subeunt animos. Ego verò meo
Illum non corrumpti exemplo, qui nullius
Mihi sceleris designati sum conscius.
Sua potius culpa occidit atq; nequitia.

Pe-

Pejora *Juvenes* facile præcepta audiunt.
 Nam ruptis disciplinae habenis, quæere
 Advescunt beluinas voluptates, dein
 Verò grassari totis nocibus ebrii,
 Necnon tumultus excitare inconditos.
 Ac sæpè quidem accidit, ut etiam modestior
 Quis, in sodalitia sanè dissimilima
 Nonnunquam pertrahatur, quod huic accidit.
 Hei mihi, malorum morum, proh! contagium,
 Miserum illum perdidit. Juvenilis impetu
 Ut primo ardor furere solet. Ah! & proh dolor!
 Dedit hanc contagio labem. Hei verò mihi,
 Apostolo etiam timeo, ne quid accidat
 Mali. Nam desperatus esse creditur
 Agapetus, generis humani hostis & Dei.
 At Johannem protegat, qui cuncta temperat
 Nutu, Christus Jesus suâ potentiâ.

ACTUS V. SCENA VI.

*Anosius, Philargyrus, S. Johannes, Ane-
 merus, Dulus, Lista, Agapetus, Parinus,
 Philedonus, Echmalotus, Acha-
 ristus.*

ANOSIUS.

Quid hic quæris fenex? quis te huc genius
 malus
 Impulit? Annon satius erat, sedere post
 Fornacem tibi, pomaq; vel pira, præ tædio
 Fallendo temporis, affare? Nisi fallimur,

Se-

Sectaris verbera, & malè tractari cupis.
Dic quid negotii sit hic senex tibi?

PHILAR. Certè hic senex malè vult habere, ultrò
caput

Objectat infortuniis. Delirus es?

An mentis sanæ? Quid perditio hic est tibi?

Nec arma habet. Quid cessas? capiatur illicò, &
Ad Principem trahatur miser homuncio.

S. JOH. Intrepidè vestra sustineo ego verbera.

Nil timeo mihi à vobis, nec effugiam, ô viri,

Nec prorsus declinabo usquam. Nam Principem
Vestrum volo. Eâ veni causâ. Veniat mihi.

PHIL. Veniet tibi, sed malles non venisse eum.

Dabis te ergò, an non, in manus nostri Ducis?

S. JOH. Iterum exclamo, non audis, Principis tui
Quod huc ego consultò adveni gratiâ.

ANOS. Infanis credo senex, qui sic exclamitas,

Mortem quasi vocans, quæ per se tarda non

Erit. Jam veniet Princeps, sed magno tuo

Malò. Tu præcurre *a)* atque dic hæc Principi.

Ego interim hominem servabo viriliter.

Illum alterum tu (*b* cape, tibi sit curæ iste, quin

Jam protinùs irruis? quin impetu involas

Uno in capillos, atque in terram projicis?

DUL. Here, ah Here, hoc nunquid prædixeram
tibi?

Volens nos crudelissimæ morti objicis.

ANOS. Te dede furcifer, ac manus huc porrige.

DUL. O miserum me, nunc extremum vivo diem.

Here, ah nunc tempus est, ut veniant Angeli.

a) Philargius. *b)* Lista.

LISTA

LISTA. Princeps, ecce, venit jam, quid hoc tibi senex

Placet? Armatus graditur, senex, en! quomodo
Coruscat, quomodo fulgent arma. Concito
Incedit gressu, & commotus videtur admodum.
Jam tibi ludetur, jam te rapiemus senex.

S. JOH. Tuas nil formido minas, nil scommata
Curo, nihili probra facio, latro, tua.

Illum volo unum, illum curo, quem Principem
Tuum fateris, ille mihi curæ est, nihil

Ejus trucem timeo vultum. Veniat modo
Ille ipse, cujus huc adveni gratiâ.

AG. Qvis ille senex est, quem dicebas, aut ubi
Est? Vah agnosco hominem eminens. Est, an-
non? quis est?

Vah, Apostolus Johannes est. Ah pudet & piget
Faciem ejus contueri sanctam. Hem quò miser
Redactus sum. Ut vos omnes malè perdat Deus.
Cur apprehendistis hominem illum? Hoc telum
modo

Tua istæc in scelerata viscera torsero.

Sed reprimo me. Dabitis tamen pœnas mihi
Suo tempore. Quid multa dicam, quid loquar,
Quid faciam? Is est ipse, ipse est. Agnosco viri
Faciem, non falluntur oculi. Proh, proh pudor!
Adibo, annon? Quâ fronte? Quid dicam? Malè
Tractabo virum Dei, patremque quasi meum,
Benè de me meritum, cujus excussi leve
Jugum? Non faciam. Nam etsi hoc fecero, scio
Paratum jam fulmen, quo me Deus adigat
Ad tartara & corpus diffindat impium

F

Vel

Vel in sexcentas partes : Me intuetur, ah!
 Vix tempero mihi, quin cerebrum tibi
 Dispergam hic, & sceleratam extingvam animam
 tibi,

Qui illum cepistis hospitem. Diutius
 Me non finit pudor contemplari virum.
 Fuga mihi consulam atq; abdum me in angulum
 Aliquò, sic faciam potius, quam videar ei.
 S. JOH. Jam mitte me, verbero, dimitte, quid tenes?
 Fugitantem Principem tuum insequi volo,
 Malo non instituto, etiam oblitus meæ
 Ætatis. Quid fugis fili, ah, patrem tuum?
 Mane, mi fili, cur fugis inermem senem?
 Miser hære, timere noli, vitæ adhuc habes
 Spem. Christo rationem pro temet reddam ego.
 Certè & mortem pro te excipiam libenter, ut
 Et Dominus excepit pro nobis. Pro tua
 Anima dabo meam animam. Sta tantum & mihi
 Crede, quia Christus me misit revocare te à
 Viis perditionis, quas nunc inambulas.
 Mane rogo. Vultum in terram demissum erige
 Et me respice. Bono sis animo & non time.
 AG. Hei mihi, quid faciam? Perii, interii, hei oc-
 cidi.

S. JOH. Mane, mane, cur me fugis patrem tuum?
 Senem inermem? Te solum expecto, te quærto,
 Benignè te mihi obtulisti huc obviam.
 Mane quæso, quid festinas fili optime?

AG. Perii, actum est, ne me cures. Væ misero mihi.
 S. JOH. Nondum periisti. Habes adhuc vitæ bonam
 Spem. Christus te revocat, qui me nunc misit huc.

AG.

AG. Perpetuò perii. Differor doloribus.

S. JOH. Quid est, quòd trepidas fili? Alieno ne sis à Me animo, patre tuo. Vitam tibi promitto jam.

AG. Ah me miserum, miserum me, animo malè est meo.

S. JOH. Lacrymas fili mitte, ac potius quòd ad hanc opus

Est rem, porrò audias. Bono animo sis modò.

AG. Quid tandem credis animi esse misero mihi?

S. JOH. Animum recipe fili, ac spera in Natum Dei.

AG. Pudet, neq; quid agam, neq; quid respondeam Huic scio. Vita in dubium venit mea.

S. JOH. Ah minimè gentium. Nam peccatoribus Christus, non justis venerat, missus ad oves

Deperditas. *a) Gaudent in cœlis Angeli* *b)*

Super uno peccatore resipiscente jam

Et agente pœnitentiam, magis quidem

Quàm nonaginta novem super justis viris.

Quinempè pœnitentiâ non indigent.

AG. Ah miserum me, quid feci? qui Deum meum Tam graviter offendi. Non sum dignus modò, Deperditus ego, solem conspicere amplius.

S. JOH. Confide fili, nec animum sic abjice.

Scriptum est: *c) Nolo mortem peccatoris, sed ut Convertatur vivatq;ve cum Deo suo.*

AG. At major est iniquitas, Pater, mea,

Quàm ut veniam merear à Domino Deo meo. *d)*

S. JOH. Bonum habe animum fili, ubi abundavit iniquitas,

Abundabit quoq; gratia. *e) Haud spernit Deus*

a) Matth. XV. 24. b) Luc. XV. 10. c) Ezech. XVIII. 32. Cle-

d) Gen. IV. 13. e) Rom. V. 15.

Clemens, redeuntem filium deperditum.

AG. Animo meo haud benè est. Ah *Conscientia*,
(*Mala bestia, testes mille,*) me quiescere haud
Sinit, rodit, nec non accusat sedulò,
Jamq; quidem nil melius esse svadet mihi,
Quàm ut desperans, vitam laqueo mox finiam.

S. JOH. Hem! fili mi, quid ais? quid ploras? quid
tremis?

Ad te redi, flere sine. Hem! quam rem agas, vide.
Est desperatione nullum apud Deum
Majus peccatum. Misericordiæ Dei
Nullus finis, perpetua & est immensitas,
Quæ superat omnia ejus opera firmiter.
Quare, fili, procul absit desperatio,
Ne æternæ perditionis fias filius.

AG. Pejore res loco non possunt esse, quàm
In quo nunc sunt sitæ, Pater piissime.

S. JOH. Hem, mitte isthæc, & mihi, te da lacrymas
sine,

A Christo ego tibi promitto gratiam.

AG. Ludis tu nunc me peccatorem maximum?

S. JOH. Ego te? Quamobrem? Non est mihi res
hæc ludicra.

AG. Nescio, nisi quia tam miserè, verum esse, quod
Dixisti, cupio mihi, eò vereor magis.

S. JOH. Ne vereare, latroni qui pendens in cruce ^{a)}
Promisit gratiam, & Paradisi gaudia,
Et me sibi indignum vocavit Apostolum,
Iste per me nunc revocat ad confortia
Sanctorum, ut sis promissionum particeps

Sua-

a) *LUC. XXIII. 42.*

Suarum, & accipias remissionem, age,
 Peccatorum omnium, & piæ vitæ dein
 Coronam inaccessibilem, quam Christus his
 Paravit, qui ipsum ex toto corde diligunt.
 Exporrige frontem ergò, hodie reparata est salus
 Tibi, ut sis hæres vitæ æternæ, apud Deum,
 Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui victimam
 Se pro nostris dedit peccatis, illius erimus
 Cohæredes fratresqve in vita illa altera.

AG. Ah lacrymor gaudio, tam sunt jucunda quæ
 Refers, Apostole Christi. Utinam consortio
 Dignus habear illo, in vita sanctorum Dei!
 Nil ego præsentem nunc vitam curo amplius,
 (Quæ nec dignus sum) modò cœli mihi gaudia
 Contingant & peccatorum remissio.

Nunc ultrò scelerata arma abjicio protinus a)
 S. JOH. Surge, quid ad genua mea, fili, proolve-
 ris?

Quid ingemiscens toties fletibus ululas?
 Tuarum uberrimis lacrymarum fontibus
 Iterum jam baptizatus es. Quid dexteram
 Occultas? Ego jurisjurandi recipio
 Tibi sacramento, me sceleribus veniam
 Tuis impetraturum à Salvatore. Quid
 Porrò desideras? Nunc deniq; dexteram
 Tuam mihi porrige, jam per pœnitentiam
 Purgatam, quam in nomine Christi deosculor.
 Salvatoris ad Ecclesiam redi, sinum
 Quæ non claudit redeuntibus. Mecum modò
 Tu comprecare Deum & Salvatorem tuum,

F 3

Ut

a) *Flectit gemia.*

Ut clementer tibi debita ignoscat, quibus
Eum offendisti graviter. Ignoscet tibi,
Quia clemens mitisque, pius & suavis est.

AG. Pater, tu potius comprecare Deum. Tibi
Namque scio certo, quò vir multò melior es
Quàm ego sum, haud negaturum quicquid roga-
veris.

S. JOH. Faciam, verum unà te precari convenit.
Multum etenim valet assidua justì oratio.

AG. At scriptum est, peccatores non audit Deus. a)

S. JOH. Cor verè contritum non despicit Deus. b)

AG. Prioris me vitæ pudet atque pœnitet.
Ex corde & imo pectore malignantium
Vias odi. Discedite à me omnes viri,
Qui operamini iniquitatem, scrutabor Dei
Mei legem, ejusque jugo colla subdere
Statui. Servus fui peccatorum hactenus,
Imposterum, nunc mundo & carne mortuus,
Christi exhibebo me servum fidissimum.
Tu me pie Christe respice! Erravi miser,
Sicut ovis, d) quæ periit. Ah, quid ovis? ex ove
Lupus factus eram, homo omnium spurcissimus,
Et sceleratissimus. Ne me à facie tua
Projicias, me me redeuntem ne respuas.
Agnosco scelera mea, agnosco insuper tuam
Iram. Verum gemitibus imo pectore
Deductis & amarissimo hoc fletu meo,
Testor veram cordis mei contritionem,
Et pœnitentiam non fictam. Cor igitur

Con-

a) Ps. CXI. 10. b) Ps. L. 19. c) Ps. VI. 9. d) Ps.
CXVIII. 176.

Contritum & humiliatum haud despicias Deus.
 In gratiam me recipe, & spiritum tuum
 Dona mihi, qui me confoletur & erigat,
 Gressusqve meos custodiat, ne deviem
 Unquam à mandatorum tuorum semitis.
 Tibi sed vivam, quàm diu tu terminum
 Mihi vitæ in hac mortalitate prorogaveris.
 Nunc exuo arma peccati & mortis, pio
 Contaminata læpè fratrum fangvine.
 Ah quid feci, quibus offendi Deum modis!
 Ah Christe Salvator, pudet atqve pœnitet.
 Miserere, miserere, ignosce agnus ô Dei!
 Qui latronem in cruce, *a)* serò pœnitentiam
 Agentem tunc, ipse piâ consolatus est
 Voce, inqviens: Hodie mecum in Paradiso eris.
 Ne me projicias à facie tua,
 Salvator, ne sim similis descendentibus
 In lacum. Tua profit mihi fangvinis profusio.
 In te speravi, non confundar perpetim. *b)*
 S. JOH. Exaudi Christe pœnitentem, ex pectore,
 Imò ad te suspirantem. Ignosce pro tua
 Bonitate, pietate, & magnâ clementiâ.
 Omnes iniquitates ipsius rogo
 Deletas esse velis pretioso fangvine
 Tuo, quem fudisti pro peccatoribus,
 Me tunc cum Maria matre tua sanctissimâ,
 Sub cruce agonem tuum inspectante flebilem. *c)*
 Ignosce Juveni misero, pro quo nunc meas
 Interpono preces, tuum si diligis
 Discipulum. Scio te nil negaturum mihi.

F 4

Qvin

a) Luc. XXIII. 42. *b)* Ps. XXX. 1. *c)* Joh. XIX. 27.

Quin jam surgis fili, ut eamus ad Episcopum.
 Bonum illum custodem, cui te commiseram.
 AG. Cilicio porrò & cinere operiar, ac lubens,
 Te comitabor, modò id absqve periculo qveat
 Capitis fieri. Namqve ipso facto, miser ego,
 In Cæsarearum legum pœnas incidi
 At melius est, Dei in manus venire, qvàm
 Hominum. Qvanqvam si Domino de me su-
 mere

Pœnas placet, per diras carnificis manus,
 Jacturam malo corporis, qvàm animæ meæ
 Facere. Nam mortis me reum ipse judico.
 S. JOH. Dinumeravit Dominus ossa suorum o-
 mnia,

Unum ex illis non conteretur, nec cadet
 Capillus de capite nostro, Patris sine
 Voluntate æterni. Animum dejectum erige,
 Ego pro te non desinam intercedere
 Apud Christum, Mariæ Filium & Dei.
 Is si pro nobis stat, quis contrà nos erit?
 Veruntamen sive vivimus, sive morimur,
 Domini Jesu sumus nec perdi possumus.
 Tu me comitare, & Christo commenda vias
 Tuas, & ipse faciet. Eventum dabit
 Quoqve cum tentatione, ut possimus crucem
 Sufferre, qvoniam fidelis est Deus.
 AG. Qvocunqve voles comitabor te, atqve si cu-
 pis,
 In mortem. Nil mihi timeo, qui te habeam pa-
 trem,
 Amicum altissimi, & vivum templum Dei.

a) Ps. XXXIII. 21. b) Matth. X. 30.

Vi-

Virum quem tenui captivum huc adducite,
Ut æs suum recipiat & liber sit vinculis.

Ades dum amice! Hic est Johannes Apostolus,
Qui me convertit, ut vides, à pessimis,
Quas ingressus fueram, viis. Nunc serviam
Porrò Christo, veracis Filio Dei,

Nec quenquam fanè deinceps ego mortalium
Lædam. Et quod feci miser, ex corde pœnitet.
Nunc ergò quæ eripui tua, recipe omnia.

Quod superest, pauperibus piè erogabitur.
Nolo maneat apud me Mammon criminis.

Porrò frater & amice, ignosce, te rogo,
Propter Jesum Christum, cui lucratus est

Te & me Sanctus Johannes Apostolus Dei.

Ignosce, inquam, frater mihi, vim tibi intuli,
Non hoc merenti, me quod factum pœnitet.

Dein mihi frater eris longè dilectissimus.

ECHM. O festivum hunc diem, quo te lucratus est
Apostolus Deo, Princeps charissime.

Lubens tibi ignosco, ignoscat tibi Deus,
Nec ejus meminero amplius injuriæ.

Apostolum audi, liberatorem tuum.

Juvenis es & juventâ seductus tuâ.

Apostolo meo habeo gratiam & tibi.

Laus sit tibi Jesu Christe Dei Fili unice.

AG. Hos ego seduxi confratres Scholasticos.

In gratiam quoq; recipe illos, ô Pater.

Ut qui fuere scelerum focii, sint quoqve

In Christo gratiæ participes inclytæ,

Ne pereant, quos Christus redemit sanguine.

S. JOH. Et vos in gratiam recipio, in nomine

Domini Jesu Christi. Agite pœnitentiam.
 PHILED. Meritò provolvimur miseri ad genua
 tua, a)

Teq; in nomine Christi precamur veniam.
 Lubentes tua seqvemur vestigia, Pater,
 Tuisq; discipuli monitis obtemperabimus.
 Seduxit nos Voluptas, meretrix pessima,
 Virtutis divinæ seqvemur dein vias.
 S. JOH. Surgite, promitto vobis vitam & veniam.
 Omnes mecum fratres simul descendite.
 AG. Qui vobis dux & author ad malum fui,
 Conversionis idem exemplis præeo.
 Valetate nunc ergò & Christum seqvam! ni
 Ducem, si vestra vobis modò cordi est salus.
 Vos verò me comitemini ac Apostolum.

ACTUS V. SCENA VII.

*Philargyrus, Anosius, Lista, Ane-
 merus.*

PHILARG.

Quid istuc? quæ res tam repente Heri mei
 Mores mutavit? Hem! quid dicam, nescio.
 Quænam tam subita est istæc immutatio?
 Satis mirari non queo, factum ex lupo
 Dudum vastissimo, nunc placidissimam
 Ovem. Deus fortè aliquis ille fuit senex,
 Qui mentes efferas & corda immitia
 Inflectere, & mansveta novit reddere.
 ANOS. Mira metamorphosis, atq; mira inversio.

a) *Genua flectunt omnes tres.*

Ut

Ut illum Dii senem omnes perdant pessimum,
 Qui nobis sine vi nostrum eripuit Principem.

Novit fortasse fascinare pectora,
 Et hominum mentes incantationibus.

Quod ni scisset, vah quibus illum modis ego
 Lacerassem; Sublimem medium arripuissem eum,
 Capite in terram statuissem, ut totam spargeret
 Viam cerebro. Postremo extinxissem seni
 Animam. At id facere me non sivit ars sua,
 Verè quæ nobis animum ademit omnibus.

LIST. Quid faciendum, fratres, porrò nobis erit?
 Amisso Principe hunc montem non possumus
 Habere portum jam amplius. Vereor enim
 Ne veniant cives, vel vicini rustici,
 Et nos captos vinctosq; vi hinc secū extrahant,
 Rotisq; dirâ morte necatos, alligent.

ANEM. Ego sanè postremus non inveniar hic,
 Capiemur enim omnes, si hic hærebimus diu.

PHILAR. Valedicam vobis, vitæ & aliud genus
 Amplectar, atq; senis admonitionibus,
 Deo auspice, acquiescam. Cessare à malo
 Finemq; peccatis imponere, ac ea

Porrò odisse, ferunt esse pœnitentiam
 Quàm maximam. Sed hoc videtur optimum,

Ut si quis fortè captus ex consortio hoc
 Nostro, & subjectus fuerit quæstionibus,
 Ne prodatis, qui fuerint socii criminum,
 Sed potiùs se membratim discerpi sinat,

Quàm ut quemquam denotet. Quod si placet o-
 mnibus

Vobis, nos cautione juratoriâ
Confœderemus & ligemus invicem.

LIST. Placet utiqve, bonum est consilium & laudabile.

PHIL. Promittitis jurisjurandi istuc loco?

ANOS. Promittimus jurantes nobis invicem.

PHIL. Servate fœdera. Suam unusqvisq; auferat
Partem prædæ acceptam, cum pace & gaudio.

ANEM. Ego certè sum, quam eram, nunc factus
ditior.

LIST. Bonam prædam nactus sum, Iro ante egen-
tior.

ANOS. Tumet crumena. Tantam vim auri quomo-
Tandem consumam? Noctes & dies ero (do
Dein' ebrius. Qvin' tu jam pulsas tympanum? a)
Nam oportet semper lætos esse milites.

PHIL. Læti ergò sic descendamus de monte, quod
Felix sit! Sed quem ego nunc clamorem audio?
Fugite hinc milites! ô!

Interſcenium VI.

Morio cum Rusticis & Grita excitato clamore
fugant milites.

ACTUS VI. SCENA. I.

Apollo cum IX. Musis.

Salvete, ô nostræ Apollinares Virgines,
Per quas Imperium nostrum stat firmissimo
Talo, dum vigili curâ inertem pellitis

a) Tympanotribam.

So-

Socordiam, petulantiamq̄ve turbidam
 Scholasticæ Juventutis, cum cæteris
 Turpissimis feleribus, & honestissimas
 Puerorum infunditis virtutes mentibus,
 Discendi cupidis, atq̄; artes svavissimas
 Et utiles humanis statibus admodum.
 Non vos hominum unqvam contempto deterreat
 A laudabilibus vestris studiis, quæ diu
 Satis jam exercuistis curis anxiis,
 In adolescentum informandis hic moribus.
 Scio eq̄videm nuper quid Voluptas impia,
 Suis cum lascivis monstris Sirenibus,
 Vobis infamiæ, despectûs & gravis
 Patraverit, ut, nisi me continuisset bona
 Mea mens, Jovis irâ provocata fulmina
 Eam cum cæteris suis amafis,
 Ad orcum præcipitem dedissent improbam.
 Meis & sensi querulas voces auribus
 Virtutis hic dulcis nostræ Sororculæ,
 Quando ultionem injuriarum planctibus
 Suis supremo pia commisit Numini.
 Et id quidem rectissimè. Quia, ut sonat
 Proverbium, *cernit vindex Deus omnia.*
 Non is jam vobis hanc illatam injuriam
 Sinet hic inultam, sed promeritis, credite,
 Pœnis afficiet, nî brevi jam tempore
 Agat Seductrix illa pubis pessima,
 De peccatis suis hic pœnitentiam.
 Vos modò nostri regiminis literarii
 Adsertrices, fidam præstate operam mihi
 Apollini, vestro, ô Musæ, summo Duci.

Non

Non vos laboris pœnitebit anxii,
 Sed accipietis à me digna præmia
 Pro vestris sollicitis curis hic perpetim.
 Quin jam nunc exornaturus vestrum caput,
 Imponam vobis hic corollas singulis,
 Datis muneribus & majoribus insuper.
 Clio tu prima ad me propiùs accedito,
 Pòst Melpomene cum cæteris Sororibus *a)*
 CLIO. O Castalidum Dux summe, Apollo lauriger,
 Cui Delphica tellus & Claros atq; Tenedos
 Pataræaq; Regia servit, omnium
 Ego cæterarum Musarum nunc nomine
 Dignas persolvo tibi grates ex pectore
 Grato depromptas pro benefactis omnibus.
 Non te sollicitum habeat noster labor, ô Deus
 Musarum, studio hunc exeqvemur vigili.
 APOL. Nunc vos hilares esse decet, ô Musæ meæ,
 Pulsis tristitiæ ex pectore vestro nebulis.
 Heus! Ganymedes, jam mihi da potû nectaris. *b)*
 Dilecta Clio hoc tibi propino poculum,
 Quod dulce nectar & ambrosiam continet.
 Tu cæteris idem tuis Sororibus,
 Propinabis, concenturis *ἄρνικιον. c)*
 CLIO. Nunc ô Musæ tollite sonos & pfallite!

CHORUS.

Triumph! triumph! triumphus! Heu Victoria!
 Nunc adest Victoria, nunc Sorores
 Sedibus nostris, mala dum Voluptas
 Rettulit pœnas meritas in orbe,
 Jo Triumphé! CLIO.

*a) Fit distributio laureolarum cum frondibus ovilæ aliisq;
 muneribus. b) Ganymedes infundit. c) Apollo bibit.*

Clio. Melpomene tibi propino nunc hoc poculum.

Vos ô Musæ tollite sonos & pfallite!

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

MELPOMENE.

Thalia tibi propino nunc hoc poculum,

Vos ô Musæ tollite sonos & pfallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

THALIA.

Euterpe tibi propino nunc hoc poculum,

Vos ô Musæ tollite sonos & pfallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

EUTERPE.

Terpsichore tibi propino nunc hoc poculum,

Vos ô Musæ tollite sonos & pfallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

TERPSIPHORE.

Erato propino tibi nunc istud poculum,

Vos ô Musæ tollite sonos & pfallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

ERATO.

Calliope tibi propino nunc hoc poculum.

Vos ô Musæ tollite sonos & pfallite!

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

CAL.

CALLIOPE,

Urania tibi propino nunc hoc poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

URANIA.

Polyhymnia tibi propino nunc hoc poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph, triumph, triumphus &c.

POLYHYMNIA.

Ultima ego Apollini propino hoc poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph, triumph, triumphus! Heu Victoria!

Nunc adest victoria, nunc Sorores
Sedibus nostris, mala dum Voluptas
Rettulit pœnas meritas in orbe
Jo Triumphé!

ACTUS VI. SCENA II.

*Apollo, Ganymedes, Musa, Cosmius, A-
spondus, Cletus, Niphalius, Musophilus,
Philomathes, Eubulus, Eugenius,
Pamphilus.*

APOLLO.

Restat, Virtutis ut asseclæ nunc insimul
Hilaria nobiscum præsentia celebrent.
Age Ganymedes, ito affer nova munera.
Post adyocabis Musarum asseclas citò.

GAN

GAN. Factum puta, Apollo. En! adfunt jam munera.

Adfunt & frugī jam novem adolescentuli,
 Quorum pectus *Doctrina cum Virtute* alit.

Cosmius, Aspondus, Cletus & Musophilus

Tunc *Niphalius, Philomathes, Eubulus &*

Cum dilectis *Eugenio* necnon *Pamphilo*.

APOL. Tu Cosmi jam me propiūs nunc accedito,
 Tuis cum cœteris commilitonibus,

Ut digna referatis nunc abs me munera. a)

Jam quævis Musarum propinet amasio
 Suo, secundum eum ordinem, quem jam dedi

Vobis, atq; corollas vestras imponite

Capitibus eorum, inito sic connubio,

Et annulis porrectis, ut sit firminus

Amicitiae vos inter & eos vinculum.

Dilecta Clio rursus fac exordium.

Ei tu Ganymedes porrige jam poculum

Repletum nectare & ambrosiâ dulcissimâ.

GAN. Id sum facturus illicò Apollo Deus. b)

CLIO.

Ego meum poculum propino Cosmio,

Impositâ ejus capiti corollâ istâ meâ,

Et annulo dato, ut maneat Sponsus meus.

Vos ô Musæ tollite sonos & psallite!

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! Heus Victoria!

Nunc adest Victoria, nunc &c.

G

COSM-

a) Fit distributio munerum. b) Infundit vinum.

COSMIUS.

Hoc ego Melpomene propino jam poculum!
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

MELPOMENE.

Ego meum Musophilo propino poculum,
Impositâ ejus capiti corollâ istâ meâ,
Et annulo dato, ut maneat sponsus meus,
Vos ô Musæ tollite sonos, & psallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

MUSOPHILUS.

Hoc ego Thaliæ propino jam poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite!

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

THALIA.

Ego meum Aspondo propino nunc poculum,
Impositâ ejus capiti corollâ &c.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

ASPONDUS.

Ego meum Euterpæ propino jam poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph, triumph. triumphus! &c.

EUTERPE.

Ego meum Eubulo propino poculum
Impositâ ejus capiti &c.

CHO.

CHORUS.

Triumph. triumph. triumphus! &c.

EUBULUS.

Ego meum Terpsichoræ propino poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. triumph. triumphus! &c.

TERPSICHORE.

Ego meum Philomathæ propino poculum,
Impositâ ejus capiti &c.

CHORUS.

Triumph. triumph. triumphus! &c.

PHILOMATHES.

Ego meum Erato propino poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. triumph. triumphus! &c.

ERATO.

Ego meum Niphaliæ propino poculum,
Impositâ ejus capiti &c.

CHORUS.

Triumph. triumph. triumphus! &c.

NIPHALIUS.

Ego meum Calliopæ propino poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. triumph. triumphus! &c.

CALLIOPE.

Ego meum Cleto propino poculum,
Impositâ ejus capiti &c.

G 2

CHO-

CHO.



CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

CLETUS.

Ego meum Urania propino poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumph! &c.

URANIA.

Ego meum Eugenio propino poculum,
Impositâ ejus capiti &c.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

EUGENIUS.

Ego meum Polyhymniæ propino poculum,
Vos ô Musæ tollite sonos & psallite.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

POLYHYMNIÆ.

Ego meum poculum propino Pamphilo,
Impositâ ejus capiti corollâ &c.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

PAMPHILUS.

Ultimus hoc poculum læto animo ego bibam,
Musarum pro salute. Vos jam psallite!

CHO.

CHORUS.

Triumph. Triumph. Triumphus! &c.

APOLLO.

Feliciter ita peractis his Nuptiis
 Apollinaribus in honorem Numinis,
 Vos Musæ ad vestras operas mox redibitis,
 Amasios vestros instructuræ artibus
 Bonis. Dato osculo cuncti hinc discedite,
 Et psallite.

CHORUS:

Triumph. Triumph. Triumphus! Heus Victoria!
 Nunc adest Victoria, nunc &c.

EPILOGUS

Pertinens ad pag. 79.

PArtem dimidiam, Spectatores optimi,
 Nostri actus Scenici audivistis hactenus,
 Tragœdiam cuius dedit ater exitus.
 Mens equidem fuit isthæc nostro Didascalo
 Primùm, produceretur actus ut die
 Uno totus, sed postmodum sententiam
 Suam mutavit, rationibus bonis
 Permotus, ob prolixitatem maximè,
 Quæ tedium sæpè parit Spectatoribus.

Hinc

Hinc crastinâ, quod restat, luce proferet
 Drama, hilaris cujus exitus istic erit,
 Ad hoc spectandum nunc invitat singulos
 Auditores, quibus suam promittit operam.

PROLOGUS.

Pertinens ad pag. 70.

Salvere vos rursus jubet Didascalus
 Noster, præsentes Spectatores optimos,
 Viros honoratos & Juvenes candidos,
 Castis cum Matronis necnon Virgunculis.
 Hesternâ luce tristes casus admodum
 Vestris oculis vidistis, quos hic assolet
 Voluptas improba dare mortalibus.
 Dabit hodierna dies lætam catastrophem,
 Quæ Virtutis jucundos fructus inclytæ
 Spectandos vestris oculis istic offeret.
 Nunc ergò attenti estote & cum silentio,
 Uti vos decet, omnes simul animum advertite.
 En! prodit, qui Germanicam periocham
 Est recitaturus isthic in proscenio.

ACTUS VI. SCENA I.

Pertinens ad Pag. 92.

Raphael, & Chorus Angelorum.

R A P H.

EN! Agapetus, seductus Scholasticus
 Voluptatis blandæ illecebris antea
 Qui fuerat, jam Joanne sancto ab Apostolo
 Ad frugem rursus est reductus optimam.
 Eja chori Angelorum gaudete & psallite!

CHO.

CHORUS ANGELORUM.

Laus, honor, virtus, decus & triumphus,
 Sit Deo nostro, residens qui in'alti
 Ætheris regno, ratione solus
 cuncta gubernat.

Sæpè turbam Numine qui scelestam
 Præpotenti tartareas ad undas
 Deprimit, Credentibus aut Olympi
 Gaudia donat.

EPILOGUS.

Vidistis actionem ludicram, optimi
 Spectatores, de corruptela floridæ
 Juventutis; Et ex adverso valeat bona
 Quid institutio. Vidistis arduum
 Corruptionis exemplum. Vidistis &
 Contrà, Conversionis non minùs inclytum
 Specimen, quæ faciunt ad pietatem singula.
 Porrò, ne expectetis dùm rursus exeant.
 Intùs Juvenes reformabuntur, intùs &
 Fient orationes. Milites quoq;
 Intùs comestabuntur strenuè, ut digerant,
 Quam nacti sunt prædam. Sic gaudet quilibet
 In genere suo. Sed verè gaudet, qui in Deo
 Gaudet, lætatur & exultans tripudiat.
 Epicuræorum sunt namq; momentanea, &
 Non solida gaudia. Sed beatus populus est,
 Qui novit jubilationem spiritus,
 In qua bonos omnes valere jubebimus.

Ad

Ad
*Clarissimum Comœdiae hujus
Autorem.*

CArpona' dudum Te optimum pueritiæ
Experta Regem est, jamq; & Urbi huic Lipsicæ
Doctum juventæ ac sedulum suæ ducem,
Præclare LANI, Te probas, dum Comica
Scholico labori inspergis interludia,
Perq; illa tanquam auro nitentes pillulas
Amara pueris Ethices dictamina
Prudens propinas. Tenera namq; *Dramatis*
Capitur juvenus, fortiterq; imagines
Horum imprimit menti, tenetq; mordicus,
Dum cerea est memoria. Maeste his lusibus,
Dux fide pubis Lipsicæ! Applaudit Tibi
Orchestra major Urbis, & si seriis
Miscere ludos id genus perrexeris
Laboribus, non vile spondet præmium.
Perge ergo, perge! haut deerit inclutum magis
Gravissimas post Exili ægrimonias,
Durosq; agonas pulveris Scholastici
Tibi brabéum. Huic interim Comœdiæ
Et cum Senatu Calculum adjiciunt suum
Musæ universæ, clamitantes: **PLAUDITE!**
properab.

L. Joachimus Fellerus, PP.

& Fac. Phil. b. t. Decanus.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA;




X 100 63 40

Ung II 155

1000

155





I. N. J.
AGAPETUS SCHOLASTICUS
Seductus & Reductus.

Seu,
DRAMA SCHOLASTICUM
DE
AGAPETO,

Quem
D. Johannes Apostolus in
Filiu[m] adoptaverat, adoptatumq[ue]
Præceptoribus informandum tradiderat, post
verò, ubi pravo sodaliti[o] esset corruptus,
ad bonam frugem reduxerat,
Ex Eusebio Cæsariensi

desumptum,
In Quo
Prava Studiosæ Pubis Corruptela,
Necnon
Recta Instituendi Medela
graphicè depingitur,

Cum
Juventute Scholastica
Phrontisterii Nicolaitani,
In Theatro
productum

à
M. GEORGIO LANI, SS. Theol. Baccal.
Ejusd. Scholæ Colleg. III.

Lipsiæ, Typis Johannis Coleri, An. 1685.

